
START

Reel Contents

Reel Contents (2)

11. Pauly, F. / Quaestiones Horatianae criticae: dissertation philologica
12. Haupt, O. / Demosthenische Studien. Erstes Heft
13. Döllen, A. L. / De vita Livii Andronici dissertatio ...
14. Hell, N. / Observationes Livianae ...
15. Kiene, A. / Komposition der Ars poetica des Horaz ...
16. Geppert, C. E. / Ueber die aussprache des lateinischen im ...
17. Giseke, B. / Die allmähliche Entstehung des Ilias : aus ...
18. Hertz, M. / T. Maccius Plautus; oder M. Accius Plautus?
19. Bojesen, E. F. C. / De problematis Aristotelis
20. Rosenberg, C. / De Eleaticae philosophiae primordiis ...

Reel Contents (3)



DE
PROPRIETATE SERMONIS PLAUTINI USU LINGUARUM ROMANICARUM ILLUSTRATO.

DISSERTATIO INAUGURALIS PHILOLOGICA
QUAM
CONSENSU ET AUCTORITATE
AMPLISSIMI PHILOSOPHORUM ORDINIS
IN ACADEMIA FRIDERICIANA HALENSI
CUM
VITEBERGENSI CONSOCIATA
AD SUMMOS
IN PHILOSOPHIA HONORES
RITE CAPESSENDOS
DIE XXIII. M. MARTII A. MDCCCLXVI. HORA XI.
UNA CUM SENTENTIIS CONTROVERSIS
PUBLICE DEFENDET

AUCTOR
GUSTAVUS SCHMILINSKY
MAGDEBURGENSIS.

ADVERSARIORUM PARTES SUSCEPERUNT:
F. W. JAHN, DR. PHIL.
O. RUEDIGER, STUD. PHIL.

HALIS SAXONUM,
FORMIS ORPHANOTROPHEI.

Linguas Romanicas quae vocantur non e sermone, quem Romanorum scriptores classici tenuerunt, ducendas esse, sed ex eo quo vulgus cotidie utebatur, nemo hodie ignorat [1]). Nam quod in cultissimis linguis usu venit, ut duplex species existat, altera per homines doctos et scriptores disseminata, altera plebis ore trita, idem in Latinam linguam cadit. Nam in eadem semper viguit sermo plebeius, qui plures vices et commutationes subiit quam eruditus sermo [2]).

Sane primordia linguarum Romanicarum a quinto sextove saeculo post Christum natum repeti solent, nec temere. Hoc enim inprimis tempore Romanorum sermo plebeius crebris illis alienarum, praecipue Germanicarum nationum commerciis et incursionibus ita mutabatur, ut etiam libros inficet, initio leviter, postea magis magisque, donec ille solus dominabatur [3]). Itaque post illud tempus mutata sermonis Latini species etiam apud eruditos homines et in libris praevaluit, sed dudum proluserat et singularibus exemplis ad eandem rationem fictis in consuetudine familiari iam aevo superiore gliscebat. Aliter si res ceci-

---

1) cf. *Diez*, Gr. d. rom. Sp. 2. ed. I. 1 seqq. *Fuchs*, die Roman. Spr. p. 34 sqq.

2) cf. *Bernhardy*, Roem. Litt. ed. III. p. 317 sq. 321 sq.

3) Inprimis *Lex Salica* atque *Edicta regum Longobardorum* exempla sermonis vulgaris in Gallia et Italia propagati satis multa praebent. cf. de hac re *Pott*, Plattlat. u. Roman. in Kuhnii Ztschrft f. vergl. Sprf. I. p. 309—350; 385—412.

disset, parum rationis haberet nimis subitus transitus ac naturae linguarum repugnans. Id facilius demonstrari posset, si accuratior familiaris apud Romanos sermonis extaret cognitio. Sed perpauca vestigia in veterum scriptorum libris inveniuntur, praecipua tamen apud grammaticos, qui passim voces vel elocutiones sermonis inferioris nobis servarunt.

His addendi sunt scriptores quidam, quorum tota dictio propter materiam quam tractant[1]) in universum propius ad similitudinem sermonis vulgaris accedit. Illorum plerique post classicorum aetatem vixerunt. Augusto regnante qui scripsit Vitruvius multas voces non ultra vulgus notas praebet. Post Taciti, Plinii, Suetonii aetatem corruptelae linguae Latinae sensim creverunt[2]); itaque factum ut sub occasum imperii Romani occidentalis novitiae formae vocabulorum usu communi propagarentur. Ex antiquis autem poetis praecipue iuvant comici, siquis sermonem familiarem plenius cognoscere velit, quippe quo personas fabularum utentes illi fecerint. Inter hos excellit Plautus, non ille, quod Terentius fecit, Graecos et urbanum sermonem imitatus, sed consuetudinem ipsius plebis exprimere maluit, cuius ingenio fabulae Plautinae prae ceteris fuerunt accommodatae.

Iam pridem docti homines multos locos ex omnium aetatum scriptoribus eo consilio protulerunt, ut notas et origines linguarum Romanicarum ab antiquissimis temporibus repeterent; quo minus par est improbari conatum eius, qui eundem in finem unius testis opes et documenta

---

1) cf. quae *Pott* de gromaticis nonnullis Romanis disseruit in Ztschrft. f. A.-W. 1853. N. 61 sqq. 1854. N. 28 sqq. *Bernhardy*, l. c. p. 746.

2) e. c. apud *Scriptores Historiae Augustae*, de quibus cf. *Bernhardy*, l. c. p. 638 et Prooem. Hal. 1847.

colligere sibi proponat. Equidem *Plauti*[1]) fabulas elegi hac mente perscrutandas, ut indagarem formas et formulas linguis Romanicis proprias; nec spernendum id propositum *Fr. Diezius* in grammatica L. Rom. I. p. 4. pronunciavit. Neque vero videtur posci posse, ut singulares vocum formae, quae linguae recentioris sunt, ex antiquitate repetantur, sed potius ut principia convenientiae quae inter Latinam et linguas Romanicas intercedit monstrentur.

Uniuscuiusque sermonis plebeii ratio cernitur in quattuor rebus: primum in *pronuntiatione*, deinde in nominum et verborum *declinatione*, tum in vocabulorum *fabrica*, postremo in eorum *usu* et *constructione*. His quattuor in capitibus linguae rusticae ab eruditorum sermone duabus rationibus, quae sibi contrariae videntur esse, discrepant, nempe *contrahendo* vel *corripiendo*, *producendo* vel *amplificando*; quarum utraque vulgi studio quam facillime et commodissime loquendi inserviebat[2]). Hinc pendet necessitudo, quae inter linguam Romanorum rusticam linguasque Romanicas ex hac factas intercedit. In Romanicis autem saepissime voces ob eam causam amplificari constat, ut ne nimis extenuentur; velut vocabulum *minae* terminatione detracta propter brevitatem linguis Romanicis paene inutile factum augetur, ut invenimus apud Plautum *minaciae*, frg. *menace*, ital. *minaccia*, hisp. *amenaza*[3]). Pro-

---

1) *Fuchs*, l. c. p. 35 not. 84: *„Ein Herausgeber des Plautus muss durchaus mit den Romanischen Sprachen vertraut sein."*

2) *Fuchs*, l. c. p. 309. 310.

3) At hoc genus productionum non in sola *permutatione sonorum* versatur; immo vero in eo conspicitur *dictionis novandae* non semper utile et commodum studium. Stilus enim ubi hebescere et languere incipit, simplicia et breviora quamquam optimae notae vocabula longioribus posthabentur, quamvis eadem sit vocabulorum potestas. Quo magis enim sensus et cogitatio dilabitur, eo ampliores fiunt verborum sonitus. Velut frg. *r — emplir* (re — implere), *accomplir* (ad — complere), *r — enverser* (freq. verbi re — invertere),

ducendi autem vel amplificandi ratio quae pronuntiationem et formationem singulorum vocabulorum mutat, eadem in syntaxin cadit, ubi vocatur pleonasmus.

Ad has duas differentias accedit tertia. Nempe vulgus etiam cavet, ut omnes formationes quam maxime ad eundem modum fingantur; itaque permultae politioris sermonis formae, quae certis legibus repugnare videntur, in sermone rustico ad regularium formarum similitudinem fictae maiorem simplicitatem prae se ferunt. Huc pertinet e. c. formatio futuri coni. IV. ad instar coni. primae et secundae facta, ut *scibo*, *dormibo*, *congredibor* pro *sciam*, *dormiam*, *congrediar*.

Has igitur tres differentias ne dissertationis termini longius proferantur, in *vocibus* tantum *declinandis* et in *vocabulorum fabrica* continebimus.

---

auparavant (ad — illud — per — ab — ante) *aujourd'hui* (ad — illum — diurnum — de — ho — die), *montagne*, *campagne* (scil. terra) cet.

CAP. I.

De vocum declinatione.

1. De nominibus.

a) De substantivis.

Substantivorum necesse est consideretur primum *genus*, deinde *declinatio*.

1. De *genere* res gravissima commemoranda est. In omnibus enim linguis Romanicis *genus neutrum* paucissimis tantum vestigiis exceptis evanuit et in universum transiit in *genus masculinum*; cf. *Diez*, gr. II. 4. Idem nonnunquam in antiquo sermone veteres observarunt, ut Nonius Marcellus, cap. III. de indiscretis generibus. Exempla quae extant apud Plautum [1]) sunt haec: *aevus* Poen. V. 4. 14; *corius* frgm. p. 1252. Poen. I. 1. 11; *collus* Amph. 445. Capt. 357. 902; *dorsus* Mil. gl. 397; *tergus* Asin. 319; *viscus* Bacch. 50; *papaverem* Trin. 410. Poen. I. 2. 113; *gutturem* Trin. 1014. Mil. gl. 835. Aul. II. 4. 25; *lactem* fem. Bacch. V. 2. 16. Tbm: quae nec *lactem* (*lacte* Ritschel.) nec lanam ullam habent (cf. hisp. *leche* fem., lusit. *leite* m. Diez. gr. I. 19. II. 21) *retem* Rud. IV. 3. 45. Tbm.: ubi demisi *retem* atque hamum (Fleckeisen v. 984. *rete*) cf. Pott, Ztschrft. f. vergl. Sprf. I. p. 401.

---

1) Plautinos locos laudamus partim secundum ***Ritschelii***, partim secundum ***Fleckeiseni*** vel ***Taubmanni*** (a. 1612) editiones.

ramenta fem. (saepius in plur. — ta) Rud. 1016. Bacch. 513. cf. offerumenta, ac Rud. 753. Animadvertendum est in linguis Romanicis voces generis neutrius in plurali saepe transisse in genus femininum primae declin., e. c. *gaudia*, ital. *gioja*, hisp. *joya*, frg. *joie; opera* (opus) ital. *opera*, hisp. *obra*, frg. *oeuvre; tormenta* hisp. *tormenta*, frg. *tourmente*; cf. Diez, gr. II. 21 sq.

Ex neutro personam significante finguntur formae gen. masc. et fem. in vocibus *patibulum* et *prostibulum*: frgm. p. 1240 *patibulus* ferar per urbem, deinde affigar cruci; et p. 1236 *prostibula* sane est[1]).

Similiter hisp. *mancebo* m., *manceba* f. ex Latina voce *mancipium*; cf. Diez, gr. II. 275. lex. linguarum Rom. p. 509. s. v. mancebo[2]).

Feminina decl. II. et IV., quae personas non significent, fiunt in linguis Romanicis masculina (Diez, gr. II. 17); ut *alvus* gen. masc. Pseud. 823.

Primitivum genus interdum linguae Romanicae servant: *crinis* gen. fem. Most. 226 censeo tibi capiundas *crinis;* item hisp. prov. *crin*, lusit. *crin*, *crine*, *crina* fem.; — *frons* gen. masc. Mil. gl. 201 *severo fronte*, frgm. ap. Non. 205, 4 nam *coloratum* (al. coloratilem) *frontem* habet petulis, frg. *front*, prov. *fron* masc. hisp. *frente* comm.

Similiter forma masc. pronominis *quisquam* ad feminina refertur: Cist. I. 1. 68 neque *quisquam* alia mulier. Mil. gl. 1060 *quemquam* porcellam. Rud. 406 anum *quemquam*.

2. Congruentiam formarum de qua diximus osten-

---

1) Fortasse etiam Pers. 837, ubi tamen Ritschlius *prostibilem*; cf. *Freundii* Lex. s. h. v. Non. 423, 18.

2) Rarius est neutrum pro masculino: *nasum* Mil. gl. 1256. Amph. 444. Men. 168. *uterum* Aul. IV. 7. 10. *gladium* Cas. V. 2. 27.

dunt etiam *declinationes*, quarum differentiae in linguis Romanicis fere oblitteratae sunt.

Vocabula *quartae declinationis* facillime ad *secundam* transierunt, quae ratio videtur sermonis rustici fuisse[1]). Apud Plautum complures voces quartae declinationis terminationes habent secundae: *domi* (gen.) Trin. 841. 1027. Amph. 503; *gemiti* Aul. IV. 9. 11; *quaesti* Most. 1107. Pers. 66. Aul. I. 2. 5. Poen. prol. 95; *senati* Epid. II. 2. 5. Cas. III. 2. 6; *sumpti* Trin. 250; *victi* Capt. 855; *tumulti* Poen. I. 1. 79. Cas. III. 5. 22; *tumulto* (abl.) Bacch. 1120; *verum* (= veru) Rud. 1302. 1304.

Ex *tertia* quoque declinatione transitum videmus in secundam: *vasum* (= vas) Truc. I. 1, 33. 34. ital. hisp. *vaso; aurum* (= aurem) Merc. 310. cf. Diez, gr. II. 15; item adiectiva: *pauper, a, um* (ital. povero, prov. paubre, paubra, Diez, gr. I. 22. II. 58 sq.): frgm. p. 1254 *paupera* haec est mulier; frgm. Vidul. p. 1250 *paupera* haec res est; — *dapsilus* (= —lis) Pseud. 396 largitus *dictis dapsilis* lubentias; — *vigilus, a* (= vigil) in comp. *noctuvigila* (vox Pl.) Curc. 196.

Quintae declinationis vocabula magnam partem transeunt in linguis Romanicis ad I. decl. praesertim cum iam in lingua Latina inter utramque fluctuent: *ecfigia* = effigies Rud. 421, ut *facies*, ital. *faccia, dies* hisp. *dia*, cf. Diez, gr. II. 15.

Quae regulis repugnare videntur, ad unam regulam plerumque rediguntur. Sic *terminationes* inusitatae mutan-

---

1) Quintil. I. 6. 27: „Quid de aliis dicam, cum senatus senatus senatui, an senatus senati senato faciat incertum sit? Quare mihi non invenuste dici videtur, aliud esse *Latine*, aliud *grammatice loqui.*" Ad quem locum Fuchs, l. c. p. 39 not. 89 recte animadvertit *Latine loqui* idem significare atque *sermone rustico* loqui. Cf. Corssen, Ausspr. II. 144.

tur in consuetas, veluti nominativi decl. II. terminatio — e vertitur in — *us* saepissime in pronomine *ipsus* e. c. Trin. 112. 363. Mil. gl. 1061. 1388. Men. 46 (ital. *esso*); *istus* semel Mil. gl. 1233 (ital. lusit. *esto*, cf. Diez, gr. II. 80). Item mutantur terminationes gen. — *ius*, dat. — *i*. decl. II.: *isti* modi Truc. V. 38; coloris *ulli* ibid. II. 2. 38; *alio* (dat.) Stich. 80. 596; dat. fem. *aliae* Mil. gl. 802; *alterae* Rud. 750; *solae* Mil. gl. 356. 1019; *totae* frgm. p. 1252; *eae* Mil. gl. 348; sicut ital. hisp. lusit. *le* (dat. sg. fem. pron. pers.) factum est ex lat. *illae* pro *illi*, cf. Diez, gr. II. 78. lex. p. 130 s. v. egli. — Huc pertinet etiam terminatio — *us* in *socerus* = socer[1]) Men. 957. Cas. IV. 2. 18. et vocum in — *er* terminantium vocativus in — *e*, ut saepissime *puere* (= puer) Most. 308. 965. Merc. 910. 930. Bacch. 577. Asin. 382. 891. Curc. 75. Vocativus in linguis Romanicis universe caret propria forma; similiter ut Plautus vocativum interdum significat nominativo, e. c. *meus ocellus* Asin. 664, *ocellus aureus* ibid. 691, *dierectus* Merc. 183. 756.

Maximi momenti in linguis Romanicis fuit *casuum formandorum* ratio. Nempe cum in his declinatio per terminationes evanuisset, casus significandi erant ope praepositionum ante substantiva positarum. Eiusdem rationis initia et vestigia iam in sermone Romanorum rustico apparent, cf. Diez, gr. II. 13 sq. Ex casibus praecipue huc pertinent *genetivus* et *dativus*, ille significatus in linguis Romanicis praepositione *de*, hic praep. *ad* (cf. Fuchs, l. c.

---

1) Primitiva forma est *socerus*, quam apocopatam esse in *socer* colligitur gr. ἑκυρό—ς = sanscr. çvaçura—s; cf. *ager* = ἀγρός, *Alexander* = Ἀλέξανδρος. — Ceterum etiam nominativi forma *morigerus* commemoranda est, cum cetera compp. verbi *gerere* terminatione — *us* careant. Invenitur haec forma apud Plautum Capt. 966. Curc. 169. Epid. V. 1. 1.

p. 325). Exempla, in quibus hae vel similes praepositiones ad simplices casus significandos adhibentur, Plautus praebet haec:

α. de genetivo:

Rud. 1077 *partem* posco mihi istinc *de* istoc vidulo.

Pseud. 1164 heus memento ergo *dimidium* mihi istinc *de* praeda dare.

Capt. 482 dico *unum* ridiculum dictum *de* dictis melioribus.

Merc. 819 nihil investigo *quicquam de* illa muliere.

Truc. prol. 6 quid si *de vestro quippiam* orem?

ibid. 1. 2 perparvam *partem* postulat Plautus loci *de* vestris magnis atque amoenis moenibus.

Poen. III. 3. 28 *boni de* nostro tibi nec ferimus nec damus.

Trin. 769 mendacilocum aliquem esse *hominem* oportet *de* foro.

Mil. gl. 502 nisi mihi *supplicium* virgeum *de* te datur (cf. ibid. v. 511).

Asin. 481 sq. Me. Dabitur pol *supplicium* mihi *de* tergo vostro. Le. Vae te:
tibi quidem *de* nobis, carnufex, detur *supplicium?*

Aul. prol. 31 *senex de* proximo.

Truc. II. 6. 5 qui et convicti et condemnati falsis *de* pugnis sient.

Quamvis in his exemplis non possit ubique genetivus poni, subest tamen huius casus notio; idem cadit in locos statim afferendos, ubi eadem significatione adhibentur praepp. *ex* et *ab*, partim loco adiectivorum:

Men. 790 at enim ille hinc amat *meretricem ex* proxumo.

Stich. 431 *amicam* ego habeo hinc *ex* proxumo.

Asin. 53 istanc *meretricem e* proxumo.

Merc. 257 conspicor *navem ex* Rhodo.

Capt. 31 captum esse *equitem ex* Alide.

Bacch. 640 huic *statuam* statui decet *ex* auro.

Merc. 139 *resinam ex* melle Aegyptiam vorato.
Asin. 263 *quantum ex* augurio auspicioque intellego.
Trin. 637 qui *beneficium a* benevolente repudies.
Mil. gl. 154 *foris* concrepuit hinc *a* vicino sene[1]).
ibid. 160 *quemque a* milite hoc videritis hominem.
ibid. 963 egone ut ad te *ab* libertina esse auderem *internuntius?*
Bacch. 528 si *a me* tetigit (eum) *nuntius.*
Poen. V. 2. 132 amat *a lenone* hic (scil. puellam).

Eandem genetivi notionem exprimit praep. *ab*, sed ut verba potius suppleri videantur in his exemplis:

Trin. 775 quasi (epistolae) sint *a patre.*
Mil. gl. 1046 haec illaec est *ab* illac.
Pseud. 690 *a* lenone me esse dixi.
Trin. 182 *a me* argentum dedi.
ibid. 1144 quando illi *a me* darem.
Pseud. 735 possum *a me* dare.
Mil. gl. 940 dat nunc *ab se* mulier operam.
Cist. IV. 1. 6 haec cistella numnam hinc *ab nobis* domo est?

Idem quod genetivus significat etiam praep. *ad* in his locis:

Trin. 873 alterum *ad* istanc capitis albitudinem.
Merc. 426 sq. aliquam mandavit mihi
ut emerem *ad* istanc faciem [ancillam].
Cist. I. 1. 73 *ad* istam faciem est morbus.

Similiter etiam in lingua Valachica genetivi loco dativus adhibetur, itemque in lingua Provinciali possessionem indicat, e. c. *filha a l'emperador* (= filia imperatoris); cf. Diez, gr. II. 49. III. 134. 136.

---

1) cf. contra ibid. 410 *fores vicini* proxumi crepuerunt.

Hoc quidem loco non alienum videtur commemorare vestigia quaedam *articuli partitivi* quem vocant tam in linguis Romanicis quam in sermone rustico itemque apud Plautum superesse. Ipsa genetivi forma exstat:

Aul. IV. 1. 2 nec *morae molestiaeque* imperium herile *habeat* sibi.

Trin. 803 *deprome* inde *auri* ad hanc rem quod sat est.

Poen. III. 3. 28 *boni* de nostro tibi nec *ferimus* nec damus.

Genetivus per praep. *de* expressus quem supra compluribus locis firmavimus, plerumque sic circumscribitur, ut praepositio substantivum cum altero substantivo coniungat; ex verbo pendet in locis sequentibus:

Stich. 400 ibo intro ad libros et *discam de* dictis melioribus.

ibid. 563 senex quidem voluit *indipisci de* cibo.

Merc. 902 vidisti an *de* audito *nuntias?*

Truc. I. 2. 11 *de* nostro saepe *edunt.*

Pers. 122 *tuburcinari de* suo, si quid domist.

Asin. 610 vitam meam tibi largiar et *de* mea ad tuam *addam.*

ibid. 706 *demam* hercle iam tibi *de* hordeo.

β. de dativo:

Capt. 1019 ego hunc *ad* carnuficem *dabo.*

Asin. 709 *ad* pistores *dabo* (quadrupedem).

Epid. I. 1. 36 si in singulis stipendiis is *ad* hostes exuvias *dabit.*

Stich. 140 hostis est uxor, invita quae *ad* virum nuptum *datur.*

Cas. prol. 22 benigne ut operam *detis ad* nostrum gregem.

Rud. 857 hunc qui *ad* carnuficem *traderent.*

Bacch. 157 te *ad* patrem esse mortuom *renuntiem.*

Men. 1127 *ad* nos *renuntiatumst.*

Most. 233 utinam meus nunc mortuos pater *ad* me *nuntietur.*

Merc. 177 si boni quid *ad* te *nuntiem.*
Stich. 598 sq. iube domi cenam coqui atque *ad* illum *renuntiari.*
Truc. IV. 1. 4 *ad* me magna *nuntiavit* chyamus gaudia.
Mil. gl. 116 ut eam rem *ad* erum *nuntiem.*
Capt. 360 quae *ad* patrem vis *nuntiari;* ibid. 384 [1]).
Trin. 340 illi *prodit* vitam *ad* miseriam.
Capt. 1029 *ad* pudicos mores *facta* haec fabulast.
Aul. III. 5. 23 nimis lepide *fecit verba ad* parcimoniam.
Merc. 4 ut *sim ad vos index.*
Mil. gl. 1112 *ad* equas *fuisti* scitus admissarius.
ibid. 12 (haut ausit) *aequiperare* suas virtutes *ad* tuas.
ibid. 801 ut sese *ad* eum *conciliarem.*

Similis est praep. *apud* usus:
Pers. 719 credidi *gratum* fore beneficium meum *aput* te.
Capt. 412 quom *aput* hunc *confessus* es et genus et divitias meas.
ibid. 714 essetne *aput* te is servos *acceptissumus?*
Cist. I. 1. 100 *iuravit apud* matrem meam.
Pseud. 694 dulcia atque amara *aput* te *sum elocutus.*
Poen. I. 1. 24 cur ego *aput* te *mentiar?*
Trin. 831 semper *mendicis modesti* sint, secus nobilis *aput* homines.

Praeter genetivum et dativum etiam aliorum casuum vicem praepositiones funguntur. *Ablativus instrumenti* in linguis Romanicis exprimitur plerumque aut praepositione *de* aut *cum* (cf. Diez, gr. III. 160). Utrumque passim apud Plautum recurrit:
Pseud. 756 hominem *cum* ornamentis omnibus *exornatum.*
Curc. 289 incedunt *suffarcinati cum* libris, *cum* sportulis.
Frgm. p. 1246 *cum* virgis caseum *radi* potest (Non. 200, 11).

---

1) contra ibid. 400 numquid aliut vis *patri nuntiari?*

Bacch. 512 sqq. set autem quam illa *de* meis opulentiis
ramenta *fiat* plumea *propensior*,
mendicum malim mendicando vincere.

Item praepositiones ponuntur ad oppidorum nomina: e. c. *in* Ephesum Mil. gl. 113. Bacch. 171. 249. 388; *in* Epidamnum Men. 33. 49; *in* Calydonem Poen. prol. 94; *in* Epheso Mil. gl. 778; Bacch. 309; *in* Epidamno Men. 267. 380; *in* Epidauro Curc. 429. Epid. IV. 1, 13. 27; *in* Sparta Poen. III. 3. 50; *ex* Epheso Bacch. 389; *ab* domo Aul. I. 2. 27. Quid quod etiam praep. *apud* non multum differt ab *in* cum abl.[1]): Epid. I. 1. 51 id adeo argentum ab Danista *apud* Thebas sumsit foenore; cf. ibid. II. 2. 67; Asin. 33 *aput* fustitudinas ferricrepidinas insulas; *aput* Orcum ibid. 606; *aput* forum ibid. 329. Curc. 474. Aul. II. 4. 2. cf. Amph. 1012 sq.

Appendix: *de articulo* [2]).

Superest ut hoc loco de *articulo* dicatur, quem in linguis Romanicis constat maximi esse momenti.

Articuli sunt duo: *articulus definitus* vel potius *definiens* et *articulus infinitus.* Posterioris autem qui e numerali factus est, certissima vestigia vetus sermo praebet, nec desunt in Plauti fabulis exempla. Quamquam est ubi dubitemus, utrum articulum an numerale accipiamus, e. c. Curc. 387 sq. et quidem reliqui in ventre *cellae uni* locum,
ubi reliquiarum reliquias reconderem,

hic enim *cellae uni* intelligi potest = *cellae unicae;*
ibid. 495 sq. quibus sui nihil est nisi *una lingua*, qui abiurant cet. (una l. = sola l.).
Stich. 617 edepol tibi opinor etiam *uni* locum *unum* conspicor, ubi cubes.

In aliis autem exemplis *unus* coniunctum cum *superlativo* apparet, quem usum apud alios multos scriptores

1) cf. Diez, gr. III. 151. not.
2) cf. inprimis Fuchs, l. c. p. 319 sqq. Diez, gr. III. 18 sq.

deprehendimus. Sed in locis Plautinis res aliter se habere videtur. Nempe discernendum est inter *superlativum*, qui *propriam significationem comparationis* obtinet, et *superlativum absolutum*, quo altus qualitatis gradus indicatur. Iam in locis quos affert Zumpt §. 691 superlativum illam potius significationem habere existimo, vocabulum *unus* vero idem fere valere quod *solus*, *unicus;* contra in Plautinis locis est superlativus absolutus et *unus* propius accedit ad significationem *pronominis* [1]) vel *articuli indefiniti.* Neque vero id negligendum est, quod in his locis vocabulum *unus* semper tanquam articulus *ante* cedit substantivum, in illis autem substantivum subsequitur aut substantivum prorsus deest. Conferantur loci ab illo grammatico allati cum Plautinis: Cic. Lael. 1. Scaevolam, quem *unum* (= solum) nostrae civitatis et ingenio et iustitia *praestantissimum* audeo dicere; p. Planc. 41 urbem *unam* mihi *amicissimam* declinavi; Verr. act. 1. pr. quod *unum* ad invidiam vestri ordinis sedandam *maxime* pertinebat. — Magis etiam illa significatio addito genetivo *omnium* se ostendit: Brut. 6 eloquentiam rem *unam* esse *omnium difficillimam;* epist. 11. 16 hoc ego *uno omnium* utor.

Ex Plauto affero exempla haec:

Truc. II. 1. 39 sed est huic *unus servus violentissimus.*
Most. 983 *unus* istic *servos* est *sacerrumus.*
Merc. 206 istuc *unum verbum* dixisti *verissumum.*
Poen. I. 2. 16 sq. sed vero duae, sat scio, *maximo uni populo*, cui lubet, plus satis dare potis sunt.
Asin. 521 quid ais tu, quam ego *unam* vidi *mulierem audacissumam.*

Proxime ad articuli significationem vocabulum *unus* accedit, quamquam *post* substantivum positum est, his locis:

---

1) cf. Trin. 1023 quorum hercle *unus* (= quis) surpuerit currenti cursori solum.

Cist. IV. 2. 69 age loquere tu, quid ibi infuerit. *Crepundia una.*

Aul. prol. 23 huic *filia una* est.

ibid. III. 6. 34 sq. at ego iussero *cadum unum* vini veteris a me afferrier.

Asin. 421 sq. quoi nunquam *rem* me *unam* licet semel praecipere furi,

quin centiens eadem inperem atque ogganiam.

Stich. 153 nam dies totos aput portum *servos unus* adsidet.

ibid. 538 huic *apologum* agere *unum* volo.

Frgm. Amph. p. 1257 ne tu postules *matellam unam* tibi aquae infundi in caput (Non. 543. 16);

praecipue si *unus* vocabulum *ante* substantivum positum est:

Pseud. 948 ibidem *una* aderit *mulier* lepida.

Mil. gl. 140 nam *unum conclave* cet.

Most. 690 sq. melius anno hoc mihi non fuit domi, nec quod *una esca* me iuverit magis.

Amph. 697 mane, dum edormiscat *unum somnum.*

Capt. 278 Polyplusio, quod genus illist *unum pollens* atque *honoratissimum.*

ibid. 482 dico *unum ridiculum dictum* de dictis melioribus.

Stich. 489 scis tu med esse *unum* imi subselli *virum.*

Truc. I. 2. 33 quis is homo est? *unusne amator?*

ibid. II. 2. 9 ut esse coepisti, si dem, si est *una altera.*

Aul. I. 1. 37 sqq. neque quicquam melius est mihi, ut opinor, quam ex me ut *unam* faciam *literam* longam.

Minus certa sunt vestigia *articuli definiti.* Sed similiter ut linguarum Romanicarum articulus, qui e pronomine *ille* factus est, hoc ipsum pronomen, paene de supervacuo additur, praesertim in sermone rustico, maiorem perspicuitatem appetenti; neque apud Plautum exempla desunt:
Trin. 36 ita vincunt *illut* conducibile gratiae.

ibid. 493 sq. aequo mendicus atque *ille* opulentissumus
censetur censu ad Acheruntem mortuos.
ibid. 245 atque ibi *ille* cuculus.
ibid. 926 quid *ille* ergo ignavissumus mi latitabat?
Men. 26. 28 inponit geminorum alterum innavem pater,
illum reliquit *alterum* aput matrem domi [1]).
Capt. 11 negat hercle vero *ille* ultimus.
ibid. 1016 adduxtine *illum* captivom huius filium?
Pers. 725 sq. nunc est *illa* occasio inimicum ulcisci.

b) De adiectivis.

1. *Declinatio.* Adiectivorum declinationem mutari supra in capite de substantivis commemoratum est. Itaque ex tertia in secundam vel primam declinationem transeunt, vel contra. Apud Plautum prisca forma *sacres* = *sacri* bis legitur: Men. 290. Rud. 1208. Item in linguis Romanicis, e. c. hisp. *firme*, *libre*, *pigre*, lusit. *contente*, ital. *fraudolente*; cf. Diez, gr. II. 58.

2. *Comparatio.* Ut linguae analyticae singulas rationes circumscribendo per voces auxiliares indicant, ita fit etiam in comparatione. Linguae Romanicae comparativum et superlativum circumscribunt, paucis formis exceptis, quas e Latina lingua retinuerunt. Et haec quidem ratio plebi gratior fuit in Romanorum sermone rustico, quoties secundum regulam comparatio per terminationes exprimi poterat. Frequentat talia Plautus:
Trin. 1038 *magis obnoxiosae.*
Mil. gl. 1086 *magis pulcer.*
Most. 197 *magis saepe.*
Cist. I. 1. 80 *magis conducibile.*
ibid. I. 2. 9 *magis libera.*

---

1) Aliter res se habet ibid. v. 40 sq., ubi iam de altero dictum erat.

Asin. 704 *magis sapiens*;
Pseud. 938 *magis malum;*
Pers. 764 magis dulce.

Ut in lingua latina ita etiam in Hispanica Lusitanica Valachica comparativus circumscribitur adverbio *magis* (hisp. *mas*, lusit *mais*, valach. *mai*), cf. Diez, gr. II. 60 sqq. In linguis ital., frg., prov. pro adv. *magis* adhibetur *plus* (it. *più*, prov. frg. *plus*), idque semel legitur apud Plautum Aul. III. 2. 6 *plus lubens*. Cum autem vis terminationum paullatim evanesceret, rusticus sermo duplicem significatum comparativi notavit adverbio *magis*, quemadmodum Plautus auget Trin. 274 sq. eo mihi *magis* lubet cum probis una *potius* quam cum improbis vivere vanidicis.
Aul. III. 2. 8 ita fustibus sum *mollior* miser *magis.*
Men. 55 *magis maiores* (nugas); item Poen. prol. 82.
Men. 978 *magis* multo patior *facilius* ego verba.
Amph. 301 *magis maiorem* metum.
Capt. 644 nihil, inquam, invenies *magis* hoc certo *certius.*
Pseud. 220 sq. num ipse ego pulmento utor *magis unctiusculo?*
Merc. 898 nequest quoi *magis* me *melius* velle aequom siet.
Stich. 484 adiero *apertiore magis* via.
ibid. 699 immo enim hic *magis* est *dulcius.*
Poen. I. 2. 3 sq. nam nullae *magis* res duae *plus* negotii habent.
ibid. II. 15 *contentiores mage* erunt atque avidi minus. [1])

Pariter apud *Italorum* scriptores antiquiores et apud plebem invenitur hodieque *più maggiore*, frg. *plus meilleur*, similia; item superlativis illis, qui e lingua Latina sumpti usitata superlativi terminatione — *issimo* carent, haec terminatio ab Italis additur: e. c. *ottimissimo, sommissimo, menomissimo.*[2])

---

1) Similis pleonasmus Capt. 150 *magis unicus.*

1) Compares *minimissimus* digitorum Arnob. V. 160. 166. Adde Blanc, ital. gr. p. 208. Diez, gr. III. 14.

Comparationis gradus, praecipue *superlativus*, non solum de adiectivis formantur, sed etiam de participiis, ut Trin. 397 miser ex animo fit, *factius* nihilo facit; ibid. 222 *occlusiorem* stultiloquentiam; Men. 698 nunc ego sum *exclusissumus*; Mil. gl. 57 factis *invictissumis*; Cas. III. 5. 52 *occisissimus*. — Item de adverbio *paene* fit *paenissume* Most. 656. Aul. III. 4. 7. IV. 6. 2; de pronomine *ipse ipsissumus* Trin. 988; Tandem de substantivis: Curc. 121 *oculissume* homo; ibid. 15 sq. ostium *oculissumum*; Rud. 706 *sacrilegissume*; Pers. 830 *geminissumus*. Poen. V. 4, 24. 26 o patrue mi *patruissime*. Quid quod ab nomine proprio *Poenus* fluxit Poen. V. 2. 31 nullus me est hodie Poenus *Punior*.

Etiam in linguis Romanicis praesertim in Italica substantivorum et nominum propriorum comparatio usitata est, de qua re pluribus Diez, gr. III. 15, ut ital. *padronissimo*, *virginissima*, *Ricciardissimo*; cf. etiam, Blanc, gr. p. 208. Superlativi *ipsissumus* correptionem *ipsimus* praebent omnes fere linguae Romanicae in comp. *metipsimus*: ital. *medesimo*, prov. *medesme*, hisp. *mismo*, lusit. *mesmo*, frg. *même*.

Adiectivorum vis etiam aliis adverbiis augetur. In lingua Latina adhibebantur *valde admodum*, rarius *multum*, quod linguae Romanicae usurpant (ital. *molto*, hisp. *mucho muy*, lusit. *muito mui*, cf. Diez, gr. III. 12 sq.); *multum* vero frequentat Plautus: Aul. II. 1. 5 multum loquaces Stich. 206 m. miseri, Mil. gl. 443 stulta m., Men. 316 hominem ineptum m. et odiosum, ibid. 571 maxume more moro molestoque m., ibid. 737 m. et audax et mala's, Rud. 261 benignam m., Capt. 87 m. incommodestici, ibid. 272 non multum fuit molesta servitus, Merc. 873. m. benevolens. Similiter utitur Plautus ter adverbio *insanum*: Most. 908 insanum bonam. Bacch. 761 insanum magnum, frgm. Nervol. p. 1247 insanum valde uterque deamat.

c. De pronominibus.

In pronominibus annotandus est transitus in regularem declinationem vel in pronomen possessivum e personalis genetivo pluralis: *nostrorum* = nostrum.[1])

Mil. gl. II. 2. 110 Tbm. et tacere *nostrorum* solus scio.[2])

Frgm. Amph. p. 1258 (Non. 285, 26) qui nequeas *nostrorum* uter sit Amfitryo decernere.

Rarius femininum *nostrarum* = nostrum.

Truc. II. 1. 40 ubi quamque nostrarum videt.

Vostrorum, *vostrarum* = vostrum:

Men. 1085 set uter *vostrorumst* advectus mecum navi?

Most. 280 verum illut esse maxima adeo pars *vostrorum* intellegit.

Pseud. 584 inimicum meum atque *vostrorum* omnium.

Amph. 4 res rationesque *vostrorum* omnium.

Aul. II. 4. 42 sed uter *vestrorum* est celerior?

Pseud. 186 ne dictum esse actutum sibi quaepiam *vostrarum* mihi neget.

Stich. 141 certumnest neutram *vostrarum* persequi imperium patris?

Eandem formationem transitumque in pron. poss. praebet lingua Valachica in eodem casu: *al nostru*, *al vostru*, et in dialecto meridionali: *a nostror*, *a vostror*; cf. Diez, gr. II. 104 sq.

In *formatione pronominum* multum *compositorum* ratio valet. Pronomina enim, cum sua natura sint exiguae molis, ne in vulgi ore nimis dilaberentur, compositionibus solent amplificari. Adiunguntur autem pronominibus demonstrativis, quo maior fiat vis demonstrationis. Componuntur

1) Nostrorum nostrum ut deorum deum. Etiam gen. *nostri* proprie est gen. sg. ex neutro pron. poss. *nostrum* declinatus = τοῦ ἡμετέρου, i. e. rerum omnium quae *ad nos* pertinent.

2) Ritschl, v. 265 tacere nequeo, solus quod scio.

nonnulla pronomina in linguis Romanicis cum particula *ecce*, quorum magna pars in lingua vulgari fertur.

Apud Plautum exstant haec:

ecc'ille: *eccillum* Pers. 247. 392. Merc. 435. Trin. 622. Rud. 1066; *eccillam* Stich. 261. 536. Mil. gl. 323. 789. Aul IV. 10. 51; *eccillut* Rud. 576; cf. prov. aicel cel, frg. vet. icel cel, val. acel cel;

ecc'iste: *eccistam* Curc. 615; cf. prov. cest, frg. vet. icest cest cist, frg. rec. cet, val. acest cest;

eccu'ipse: *eccum ipsum* Pers. 739. Men. 109. 898. Aul. IV. 8. 12. Epid. II. 2. 3; *eccam campse* Men. 772; cf. hisp. aquese, lusit. vet. aquesse. Ceterum vide Diez, gr. II. 421. lex. p. 277 s. v. quello, questo; p. 460 s. v. aquese. Fuchs, l. c. p. 343.

Eodem pertinet pronominum *hic*, *iste*, *ille* forma producta: *hice*, *istic* (istice), *illic* (illice). Exempla cum sint creberrima non opus est afferre.

Deinde *nemo* apud Plautum interdum augetur addito participio *natus* (= Kein Menschenkind):

Most. 402 tamquam si intus *natus nemo* in aedibus habitet.
ibid. 451 *natus nemo* in aedibus servat.
Rud. 969 sq. dominus huic nisi ego *nemo natust.*
Pseud. 297 alienum reddunt *nato nemini.*
Cas. II. 4. 15 de Casina certum est concedere homini *nato nemini.*

Hanc formam servavit in lingua Hispanica pronomen *nadie* (= nemo); cf. Diez, gr. II. 424. lex. pag. 516 s. v. nada.

Abundanter eadem fere significatione quam pronomen habet indefinitum *homo* ponitur: *homo* nemo Mil. gl. 332. 1411. Asin. 466; *hominem* servom Mil. gl. 563; ibid. 68 nimiast miseria nimis pulcrum esse *hominem*; ibid. 704 laus est liberos *hominem* educare; Most. 802 misericordia stulta haut esse *hominem* oportet. — Prorsus ut frg. *on*

usurpatur *homo* Bacch. 616 sq. nequior nemo quisquamst, quem *homo* aut amet aut adeat. Cf. Diez, gr. III. 83. 292.

Omnino pleonasmos in usu pronominum frequentat sermo rusticus, quo maior accedat orationi perspicuitas; item ut in linguis Romanicis verbo finito solent pronomina magis minusve addi.

Postremo pronomen poss. *suus* more linguarum Romanicarum usurpatur, ubi genetivum pronominis demonstrativi *is, ea, id* exspectamus. Praeierat Plautus:

Trin. 214 bonis qui hunc adulescentem evortisset *suis*.
Amph. 194 Creoni regnum stabilivit *suum*.
ibid. 1002 deinde illi actutum sufferet *suus* servos poenas.
Cist. I. 1. 101 sq. ei nunc alia ducenda est domum, *sua* cognata Lemniensis. [1])

Quae exempla si forte defendi possunt, non item haec:

Pseud. 234 mittam hodie huic *suo* die natali malam rem.
Stich. 582 set videon' ego Pamphilum cum fratre *suo?*
Poen. IV. 2. 26 herus nequivit propitiare Venerem *suo* festo die.

Eodem modo pron. reflexivum:

Trin. 158 sq. habeo dotem olim unde dem, ut eam in *se* dignam condicionem conlocem.

2. De verbis.

1. *De genere verborum.* Primum *deponentia* saepe Plautus mutat in formam *activam;* cf. Non. cap. VII. de contrariis generibus verborum. Eandem rationem omnino linguae Romanicae sequuntur. Plautina sunt haec:

abominare: abomina Trin. 708.
amplectere: amplectitote Rud. 816. amplexam pass. Mil. gl. 507.
amplexare: amplexabo Poen. V. 4. 60.

---

1) Rectius ibid. 103 nam eum pater eius subegit.

arbitrare: arbitro Men. 981. Merc. 521. 901. arbitras Mil. gl. 403. arbitrabunt Stich. 144. arbitrarem Pseud. 1014. arbitretur pass. Epid. II. 2. 82.

aucupare: aucupet Mil. gl. 995. Most. 473. aucupemus Asin. 881. aucupa Men. 570. aucupavi Truc. V. 72.

augurare: augura Cist. IV. 2. 26.

auspicare: auspicavi Stich. 502. Pers. 689. Rud. 717.

ausi (= ausus sum): coni. ausim Poen. V. 6. 21. ausit Mil. gl. 11.

contemplare: contemplo Amph. 441. Pers. 564. contemplat Trin. 863. contempla Mil. gl. 1029. Most. 166. 172. 282. Epid. V. 1. 16. contemples Asin. 539. contemplent Merc. 407. contemplarent Epid. III. 3. 2.

criminare: criminaret Pseud. 493.

cunctare: cunctas Cas. IV. 2. 13.

perfabricare (simpl. dep.): perfabricavit Pers. 781.

fabulare Truc. I. 2. 79.

proficiscere: proficisco Mil. gl. 1329.

aggredere: aggredias Truc. II. 1. 40.

congredere: congredias Non. 473. 12: Plautus in Epidico (IV. 1. 16): quid, si adeam? aut sicia, an congredias, si hoc est (Tbm. haud scio an congrediar, si haec ea est).

congraecare: congraecem Bacch. 743.

hortare: hortat Asin. 512.

indipiscere: indipisces Aul. IV. 10. 45 cf. Freundii lex. lat. s. h. v. (inde posces Tbm.); indipiscet Asin. 279.

jocare: jocabo Cas. IV. 4. 20.

luctare: luctavimus frgm. Vidul. p. 1251 (Non. 468. 32) quid multa verba? plurimum *luctavimus.*

deluctare: deluctari Trin. 839.

interminare: interminat Mil. gl. II. 3. 42. Tbm. (aliter Ritschl. v. 313.)

minitare: minitas Capt. 743. frgm. Amph. Non. 473 extr. quid minitabas te facturum, si istas pepulissem fores.

morare: moro Bacch. 153. 1187. morarem Asin. 675.
morigerare: morigero Amph. 981.
opinare: opino Amph. 574. Bacch. 24. Pers. 343. Pseud. 87. Rud. 999. 1268. Stich. 290. Trin. 422.
paciscere: pacisce Bacch. 866. 870. 871.
partire: partiam Mil. gl. 707. Asin. 271. partite Amph. 1035.
praedari pass.: praedatum irier Rud. 1242.
sciscitare Merc. 389.
perscrutare: perscrutavi Aul. IV. 4. 30.
insectare: insectabit Capt. 593. Poen. III. 1. 25.
adsentire (apud Cic. non nisi ter in epistolis) Rud. 975. Amph. 824.
suspicare: suspices Cas. II. 6. 42.
tumultuare: tumultuas Mil. gl. 172. tumultues 629. 638.
tutare: Merc. 864 sq. ap. Non. 476. 6. invoco vos Lares diales, ut me tutetis (Ritschl: invoco vos, Lares viales, ut me bene iuvetis); tutari pass. Amph. 651 et patria et prognati tutantur, servantur.
vagare: vagas Mil. gl. 424.
venerare: venero Bacch. 173. venerem Teuc. II. 5. 23. cf. Diez, gr. II. 119.

2. *De coniugatione.* In linguis Romanicis verba coniugationis fortis, quo nomine etiam Diez post J. Grimmium utitur, saepe transisse in coniugationem debilem constat; id quod ex recentioris aetatis studio formas exaequandi profectum est. Initia huius transitus usque ab antiquo Romanorum sermone repetere licet. In quartam coniugationem linguae Latinae (tertiam novarum linguarum auctore Diez, gr. II. 122) transeunt complura verba coni. III., in — *io* potissimum terminantia (*mori:* ital. morire, prov. hisp. morir, frg. mourir; hisp. concebir, decir; frg. courir). Apud Plautum haec:

moriri Asin. 121. Capt. 732. Rud. 675. 684. Pseud. 1222. frgm. Vidul. p. 1251 malim moriri meos quam mendicarier.

parire (= parĕre) frgm. Vidul. p. 1251 nam audivi faeminam ego leonem semel parire. Etiam hisp. parir.
ecfodiri Mil. gl. 315. 374. perfodivi ibid. 142.
aggrediri Truc. II. 5, 7. 9; adgredirier Merc. 248. Rud. 601; adgredīmur Asin. 680 quín ad hunc, Philénium adgredímur? Rud. 299 post íd piscatum hamátilem et saxátilem adgredímur; aggredire Asin. III. 3. 124 Tbm. (Fleckeisen v. 714 adgredere); adgredibor Pers. 15. 788: progrediri Men. 754. Cas. V. 1. 9; congredibor Most. 783.

Verborum in — o (non — io) terminatarum similes formas habent haec:
sublinire: Mil. gl. II. 1. 75 Tbm. ita sublinītum est os custodi mulieris (Ritschl, v. 153 sublinetur).
reddire: reddibo Men. 1038. Cas. I. 41. frgm. Vidul. p. 1250. cf. Diez, gr. II. 125 sq.

Consimiliter linguae Hispanica et Lusitanica brevem vocalem *e* infinitivi ubique producunt, e. c. hisp. *conocér, querér*, lusit. *conhecér, querér* (cf. Diez, gr. II. 166. 179), cui rationi apud Plautum respondet transitus in secundam coniugationem formae futuri *exsugebo* = *exsugam* Epid. II. 2. 5. Ex contrario longa vocalis *e* coniugationis secundae saepius in infinitivo corripitur (e. c. ital. *árdere, lúcere, mórdere*, frg. *taire* (= tacēre), *rire* (= ridēre), cf. Diez, gr. II. 127), item *e coni. II.* interdum transitur in *tertiam*, veluti *fervĕre, frendĕre, fulgĕre* alia pro *fervēre* cet. Diez, gr. II. 125. Sic Plautus in verbis *tueri* et *olere: tuĕris* Trin. 708. *contuor* Asin. 403. Pers. 208. *contui* Most. 838. Asin. 124. 523. *intuor* Most. 836. *intuitur* Capt. 557. *optuĕre* Most. 69. 837; *olĕre* Most. 42. *olant* ibid. 268. Poen. I. 2. 56. frgm. p. 1241.

In *verborum flectendorum* ratione linguae Romanicae quam maximam formarum congruentiam sectantur, nimirum ut secundum regulam plerumque verba flectantur.

Idem studium cernitur in *futuri primi coni. IV.* terminatione *ibo*, quemadmodum prima in-*abo*, secunda in-*ebo* finitur. Apud Plautum complura huius generis exstant: *amicibor* Pers. 307; *audibis* Capt. 619. Poen. I. 2. 97; *subblandibitur* Bacch. 517; *custodibitur* Capt. 729; *dormibo* Trin. 726; *adgredibor* Pers. 15. 788; *congredibor* Most. 783; *grandibo* Aul. I. 1. 10; *largibere* Bacch. 828; *mentibitur* Mil. gl. 35. 254; *commoenibo* Rud. 934; *demolibor* Bacch. 383; *aperibo* Truc. IV. 2. 50; *opperibor* Pseud. 323. Truc. I. 2. 106; *opperibere* Bacch. 48; *reperibitur* Epid. I. 2. 48; *expedibo* Truc. I. 2. 36; *scibo* Men. 386. Most. 997. Asin. 28. Pseud. 174. 480. Truc. II. 6. 69; *scibis* Mil. gl. 1365. Rud. 365. Pers. 219. Pseud. 1039. Poen. V. 4. 57. Epid. II. 2. 101. Cas. III. 5. 22; *scibit* Epid. I. 1. 69; 2. 51; *scibunt* Poen. II. 16, *scibimus* Merc. 1017, *scibitur* Capt. 785; *nescibo* Capt. 265; *servibo* Men. 1101. Merc. 546, *servibit* Pers. 628; *inservibus* Most. 216; *convenibo* Cas. III. 2. 18; *subvenibo* Men. 1009.

Huic futuri formationi in-*ibo* respondent *formae imperfecti* in-*ibam* pro-*iebam*, quae quidem passim apud classicae quoque aetatis poetas inveniuntur. Eadem forma huius temporis in linguis Romanicis occurrit, quae omnes-*iva* vel-*ia* habent (cf. Diez, gr. II. 123). Id genus formas etiam Plautus confirmat, qui verbi *aio* imperfectum *aibam* frequentat pro *aiebam*, e. c. *aibas* Trin. 428. Amph. 807. *aibat* Trin. 956. 1140. Amph. 661. Capt. 561. Bacch. 1096. Pseud. 1083. 1118. Merc. 765 sq. *aibant* Trin. 944. Mil. gl. 66. Merc. 635. — *servibas* Capt. 247. — *gestibant* Asin. 315. — *praesagibat* Aul. II. 2. 1. — *crocibat* Aul. IV. 3. 2.

Pariter ad regulam formata sunt nonnulla perfecta: *increpare increpavit* Most. 750; *ponere* et compp. item ut

apud alios antiquae aetatis scriptores, *posivi*[1]) Pseud. 1281, *posivimus* frgm. Vidul. p. 1250; *adposivi* Mil. gl. 905; *deposivi* Curc. 536, *-vit* Most. 382, *-vimus* Bacch. 306; *exposivit* Cas. IV. 4. 27; *inposivit* Rud. 357, *inposisse* Most. 434; *opposivit* Curc. 356; *praeposivi* Rud. 916; *reposivi* Asin. 513; *supposivi* Truc. II. 5. 9, *-vit* ibid. IV. 3. 30; *instituere: institivi* Most. 86; *posse: potivi* Most. 792. Novissimi verbi sunt etiam *potesse* pro *posse* (Most. 1015. Bacch. 559. Rud. 55. Aul. II. 4. 30. Cist. I. 1. 32), *potesset* pro *posset* (Rud. 390), ut in linguis Romanicis (cf. ital. potere, poteva, potei, Diez, gr. II. 131. lex. p. 271 s. v. potere).

Huc pertinent *imperativi* verborum *facere*, *ducere*, *dicere* ad regulam formati *face*, *duce*, *dice* pro *fac*, *duc*, *dic*; *face* frequentissimum, *duce* Trin. 384. Most. 794. Rud. 386. Epid. III. 3. 18. Poen. V. 4. 59; *adduce* Pers. 439. Stich. 151. Poen. I. 3. 15. Rud. 775. Asin. 355; *abduce* Bacch. 1031; *circumduce* Mil. gl. 221. Most. 843. Asin. 97; *educe* Pers. 459. Stich. 762; *introduce* Aul. III. 3. 4; *dice* Rud. 124. 951. 1156. Capt. 359. Merc. 159. Asin. 29. 358 al.; *benedice* Aul. IV. 10. 57.

Perfectum activi per *litteram s* formatum multo saepius invenitur in linguis Romanicis quam in lingua Latina; cuius exempla recurrunt in monumentis medii aevi (cf. Diez, gr. II. 128 sqq.). Apud Plautum legitur *parsi* pro *peperci* vel abiecta reduplicatione (cf. l. c.) Trin. 316, *parsit* Bacch. 993. Capt. 32. Curc. 381, *parseris* Pers. 572. Poen. V. 2. 33, *parsissem* Pseud. 5. Truc. II. 4. 24; frgm. p. 1250 ni fugissem, medium, credo, *praemorsisset.*[2])

---

1) Haec forma recta est et antiquior quam *posui.* Nimirum *pōnere* (= po-snere) compositum est ex praep. cum simpliciore verbo *sinere.*

2) *praemorsisset* = praemordisset; cf. ital. *morsi;* Diez, gr. II. 129.

3. *De formatione temporum.* Ut omnes linguae recentiores ita linguae Romanicae ad circumlocutiones inclinant. Eandem rationem in coniugatione deprehendimus.

Perfectum activi, more Romanico formatum auxilio verbi *habere* et part. perf. pass., apud Plautum exstat in his exemplis, in quibus verbum illud propria significatione amissa transiit in notionem verbi auxiliarem:

Trin. 347 multa bona bene *parta habemus.*

ibid. 838 satis *partum habeo.*

ibid. 868 ad nostras aedis hic quidem *habet rectam* viam.

Mil. gl. 48 nullos *habeo scriptos.*

ibid. 563 sq. servom suos *domitos habere* oportet oculos.

ibid. 885 sq. nam ego multos saepe vidi regionem fugere consili priusquam *repertam haberent.*

Men. 584 periuriis *habent* rem *paratam.*

ibid. 801 quando *curatam* et *vestitam* bene *habet* te.

Cist. I. 1. 28 ut eam (amicitiam) *iunctam* bene *habent* inter se.

frgm. p. 1252 Epeum fumificum, qui legioni nostrae *habet coctum* cibum.

Bacch. 4 quae sodalem atque me *exercitos habet.*

ibid. 412 nam absque te esset, ego illum *haberem rectum* ad ingenium bonum.

Pseud. 602 illa *missa habeo* quae ante agere occepi.

Pers. 855 sq. an parum hic *exercitum* hisce me *habent?*

Stich. 362 immo res omnis *relictas habeo.*

ibid. 566 *habeon* rem *pactam?*

Cas. II. 2, 15. 19 vir me *habet* pessumis *despicatam* modis.

Porro verbum auxiliare, in perfecto vel imperfecto legitur:

Men. 119 nimium te *habui delicatam.*

Bacch. 550 sq. ille, quod in se fuit, *accuratum habuit,* quod posset mali faceret in me.

Merc. 360 nequiquam abdidi, abscondidi, *abstrusam habebam.*

Pseud. 676 sq. iam instituta, ornata cuncta mi ordine, animo ut volueram, certa, *deformata habebam;*

Rarius in futuro:

Rud. 748 sq. tunc hic felis virginalis liberos parentibus *sublectos habebis* atque indigno quaestu conteres? Sane *futurum I. activi* in linguis Romanicis speciem circumlocutionis non ostendit; coaluit tamen ex infinitivo cum verbo *habere* (cf. Diez, gr. II. 110 sqq.). Sed in dialecto Raetoromanica hoc tempus circumscribitur per *venire*, veluti *veng a cantar* = ital. *canterò*, in Valachica per *velle*, veluti *voiu cuntà* (cf. l. c. p. 112.). Pari modo lingua Francogallica adhibet verbum *aller*. Has et similes circumlocutiones dudum in sermone Romanorum vulgari prodisse persuadet; verbum *velle* apud Plautum Most. 66 ego *ire* in Piraeum *volo*. Notabilior est circumlocutio per verbum *ire* sequente coni. *ut* aut *supino*, e. c. Trin. 1172 *eo ut* illum *evocem* (= evocabo), Aul. I. 1. 26 nunc *ibo ut visam* etc.

Notior est altera circumlocutionis forma:

Trin. 315 ne noctu *irem obambulatum*.

Mil. gl. 621 amanti *ire opitulatum*.

Pers. 62 sine meo periclo *ire* aliena *ereptum* bona.

Bacch. 565 (nisi) mi *ires consultum* male.

ibid. 1171 istuc delictum desistas tanto opere *ire oppugnatum*.

Pseud. 845 si nusquam *coctum is*, quidnam cenat Iuppiter?

Aul. II. 4. 45 sq. in nonum diem solet *ire coctum*.

ibid. II. 2. 69 si opulentus *it petitum* pauperioris gratiam ut.

Reliquos locos recensere piget.

Etiam *venire* sequente supino sic usurpatur, ut simplex verbum circumscribatur:

Amph. 587 nunc *venis* etiam ultro *inrisum* dominum.

Aul. II. 2. 46 neque edepol ego te *derisum venio* neque derideo.

ibid. II. 1. 24 te id *admonitum advento.*
Stich. 107 quid istuc est quod *exquaesitum* huc mulierum mores *venis?*
Trin. 864 credo edepol, quo mox *furatum veniat*, speculatur loca.
Rud. 111 an quo *furatum venias* vestigas loca?

Simili modo verbum *dare* coniungitur cum part. perf. pass., in sensu simplicis futuri:
Cas. II. 8. 3 *factum* et *curatum dabo.*
Pers. 457 nunc ego lenonem ita hodie *intricatum dabo.*
Pseud. 926 pulcre ego hanc *explicatam* tibi rem *dabo.*
ibid. 881 sq. nam ego ita conviviis cenam *conditam dabo* hodie atque ita suavi suavitate *condiam.*

Passivum in linguis Romanicis prorsus evanuit eiusque formae in universum verbo *esse* cum participiis passivis circumscribuntur. Similiter pro praesenti passivi apud Plautum legimus:
Mil. gl. 514 ita *sum coactus*, ut nesciam (= cogor).
Capt. 736 in lapicidinas facite *deductus siet.* [1])

Praeter *esse* etiam verba *ire*, *venire*, *stare* ad passivum exprimendum vel apud verba intransitiva valent (cf. Diez, gr. III. 198 sq.).
Similiter apud Plautum:
Pseud. 1138 bene ego ab hoc *praedatus ibo.*
ibid. 850 quo *conductus venio.*
Epid. III. 4. 64 *conducta veni*, ut fidibus cantarem seni.
Mil. gl. 891 ergo istuc metuo, quod *venit* nobis *faciundum* utrumque.

---

1) Cf. Diez, gr. III. 195 et not. Idem l. c. commemorat etiam verbum *fieri* in medii aevi monumentis pro *esse* occurrere et (pag. 196) exempla affert; cui loquendi usui quodammodo respondet Trin. 1050 si quoi mutuom quid dederis, *fit* pro proprio *perditum.* Cf. de hac re etiam Diez, gr. II. 132 not. 2.

Epid. V. 2. 51 maxima hercle iniuria *vinctus asto.*
Trin. 1149 sq. quid ego ineptus solus *sto?*
Mil. gl. 9 hic est, *stat* propter virum fortem.
ibid. 1290 set eccum Palaestrionem *stat* cum milite.
ibid. 1389 sq. *stat* in statu senex, ut adoriatur moechum.
Men. 344 nunc in istoc portu *stat* navis praedatoria.
Capt. 740 periclum vitae meae tuo *stat* periculo.
Poen. prol. 22 animo aequo nunc *stent.*

CAP. II.

De vocum formatione.

1. De nominibus.

Nominum amplificatio maximam partem in linguis Romanicis derivatione efficitur, quoniam illae, quemadmodum mater Latina, compositioni minus favent. Iam sermo Romanorum rusticus ad hanc rationem inclinat; ut simplicium vocabulorum loco derivatis utatur; cf. Fuchs, roman. Spr. pag. 149.

a. De substantivis.

Apud Plautum invenimus pro simplici voce *minae* ter derivatam *minaciae*:

Truc. V. 56 melius te *minis* certare mecum quam *minaciis,*

Hoc loco confirmantur:

Mil. gl. 374 Flk.: non possunt tuis *minaciis* hisce oculi mi ecfodiri.[1])

Rud. III. 5. 16 Tbm. *minacias* ego istas flocci non facio tuas.[2])

---

1) Item Tbm. II. 4. 21 non possunt mihi *minaciis* tuis hisce oculi fodiri; contra Ritschl: non potis est mihi *minis* tuis hosce oculos exfodiri.

2) Sed hic metrum repugnat, itaque Fleckeisen scripsit v. 795 *minas* ego cet.

Cf. ital. *minaccia*, prov. *menassa*, frg. *menace*, hisp. *amenaza*, Diez, lex. p. 230.

Similiter *struix* (= strues) Men. 102; *senex*, gen. *senecis* frgm. p. 1236; *merces* = merx Pseud. 954; *lacte* (= lac) nom. Mil. gl. 240 tam similem quam *lacte* lactist; Men. 1089 neque aqua aquae neque *lacte* lactis, mihi crede, usquam similiust; Bacch. 19 sicut *lacte* lacti similist; acc. Bacch. 1134 quae nec *lacte* nec lanam habent (lactem Tbm.); cf. ital. *latte*, hisp. *leche*, lusit. *leite*, frg. *lait*; Diez, gr. I. 19; *litigium* (= lis) Men. 151. 765. 784. Cas. III. 2. 31; ital. hisp. lusit. *litigio*, frg. *litige*; *volturius* (= voltur) Most. 832. Truc. II. 3. 16; ital. *avoltore avoltoio*, prov. *voltor*, frg. *vautour*; Diez, lex. p. 33; *veruina* (dim. = veru) Bacch. 887; ital. *verrina*, cf. Diez, lex. p. 368 s. h. v.; *itiner* (= iter) Merc. 911. 929; *sociennus* (Plautina vox = socius) Aul. IV. 4. 32; *glandionida* et *pernonides* (voces per iocum formatae ad normam patronymicorum = glandium, perna) Men. 210.

Porro sunt multae *terminationes* in linguis Romanicis vocibus formandis adhibitae, quas Romanorum sermo vulgaris praeierat, cum a doctis hominibus substantiva diversis modis terminata usurparentur. Vocabula huius generis e fabulis Plautinis affero haec: [1])

ca (in linguis Romanicis in universum ía; cf. Diez, gr. II. 280): *flagrantia* Rud. 733; *habentia* (obsoleta vox) Truc. prol. 21; *lubentia* Pseud. 396. Stich. 276. Asin. 268; *pollentia* Rud. 618. Cas. IV. 4. 3. Voces Plautinae: *fraudulentia* Mil. gl. 193. Pseud. II. 1. 7. Tbm. (Ritschl. v. 582 malitia fraudulenta); *incogitantia* Merc. 27; *histrionia* Amph.

---

1) Notae de singulorum vocabulorum usu sumptae sunt in universum e Freundii lexico Latino. Voces Plauto proprias stellula notamus; qua quae vacant, communes sunt cum aliis scriptoribus

90. 152; *inaniae* (= inanitas) Aul. I. 2. 6; *mellinia* Truc. IV. 1. 6.

itia (ital. *izia ezza* etc. cf. l. c. p. 338): *impuritia* Pers. 411.

ela (praecipue valach. -*ealę*; cf. l. c. p. 303): *cautela* Mil. gl. 601; *custodela* Most. 406. Merc. 233. Rud. 625. 696. Capt. 457; *loquela* Cist. IV. 2. 75; *obsequela* Asin. I. 1. 50. Tbm. (Fleckeisen v. 65 obsequentia); *suadela* Cist. II. 3. 24; *sutela* Capt. 692. Cas. I. 7.

edo (cf. l. c. p. 316): *apsumedo* Capt. 904.

tudo (cf. l. c. p. 316): *albitudo* Trin. 873; *aritudo* Rud. 524; *canitudo* frgm. p. 1252; *hilaritudo* Mil. gl. 677. Rud. 422. Cist. I. 1. 56; *maestitudo* Aul. IV. 10. 2; *partitudo* Aul. I. 1. 36. II. 3. 9; *saevitudo* Bacch. 2; *severitudo* Epid. V. 1. 3; *sorditudo* Poen. V. 2. 10; *suavitudo* Bacch. 28. Stich. 755; *tarditudo* Poen. III. 1. 29; *vanitudo* Capt. 569.

tio sio (cf. l. c. p. 321): *amatio* Merc. 794. Capt. 1030. Rud. 1204. Cas. II. 5. 20. Poen. V. 2. 136; *auscultatio* Rud. 502; *subigitatio* Capt. 1030; *clamitatio* Most. 6; *edictio* Pseud. 143. 172. Capt. 811. 823; *conduplicatio* (semel apud Cic.). Poen. V. 5. 18; *famigeratio* Trin. 692; *frustratio* (rar., non ap. Cic.). Most. 1152. Amph. 875; *factio* (in propria significatione rar.). Bacch. 843. Rud. 1371; *abitio* (semel ap. Terent.) Rud. 503; *reditio* (rar.) Most. 377; *muttitio* Amph. 519; *palpatio* Men. 607; *parasitatio* Amph. 521; *partio* Truc. I. 2. 93; *pultatio* Truc. II. 2. 3; *risio* Stich. 658; *rogitatio* Curc. 509; *inscensio* Rud. 503; *ascensio* (rar. pro *ascensus*) Rud. 599; *suaviatio* Bacch. 116. Pseud. 65; *consuetio* Amph. 490; *tactio* (proprio significatu) Men. 1016. Curc. 626. Poen. V. 5. 29. Aul. III. 2. 9. IV. 10. 14. Cas. II. 6, 54. 56; *velitatio* Rud. 525. Asin. 307; *ventio* Truc. II. 7. 61.

tura sura (cf. l. c. p. 323 sq.): *cubitura* frgm. p. 1236 (Non. 198. 25); *cursura* Trin. 1006. 1016. Bacch. 67. Stich. 306. Merc. 119. Most. 862. Asin. 327. frgm. p. 1236; *fictura* Trin. 365. Mil. gl. 118 sq.; *polluctura* Stich. 688; *insultura*, *desultura* Mil. gl. 280; *textura* (poet.) Stich. 348; *venatura* Mil. gl. 990.

or (terminatio adiectis addita, ital. ore, hisp. prov. or, frg. eur; cf. l. c. p. 325): *claror* Most. 645.

tor sor (cf. l. c. p. 326): *acceptor* Trin. 204; *calator* Pseud. 1009. Merc. 852. Rud. 335; *clavator* Rud. 805; *occisor* Mil. gl. 1055 (ital. uccisore); *dator* (rar.) Curc. 297. Truc. II. 1. 33. II. 7. 18. frgm. p. 1236 extr.; *dormitator* Trin. 862. 984; *circumductor* Most. 845; *exercitor* Trin. 226. 1016; *malefactor* Bacch. 395 (ital. malfattore, frg. malfaiteur); *famigerator* Trin. 215. 219; *perforator* Pseud. 979; *fugitor* Trin. 723; *gestor* Pseud. 429; *lectisterniator* Pseud. 162; *oblocutor* Mil. gl. 644; *osor* Asin. 859. Poen. prol. 74; *palpator* Men. 260. Rud. 126; *potator* Men. 259; *praestigiator* Amph. 830. Poen. V. 3. 6. Truc. I. 2. 32; *pransor* Men. 274; *sarcinator* Aul. III. 5. 41; *responsor* Rud. 226; *despoliator* Trin. 240 (hisp. despoiador); *sputator*, *screator* Mil. gl. 648; *adventor* Asin. 359. Truc. I. 2. 2. II. 7. 55; *virgator* Asin. 565.

trix (praesertim -*trice* in lingua Italica, in qua singulis masculinis in -*tor* respondet femininum in -*trix*; cf. l. c. p. 326 sq.): *amatrix* Asin. 511. Poen. V. 5. 25; *subigitatrix* Pers. 227; *cantrix* Trin. 253; *praecantrix* Mil. gl. 692 (*praecantatrix* Tbm. III. 1. 99; cf. Non. 494. 27); *acceptrix* Truc. II. 7. 18; *accusatrix* Asin. 515; *cistellatrix* Trin. 253; *dictatrix* Pers. 770; *estrix* Cas. IV. 1. 20; *coniectrix* Mil. gl. 692; *oblatratrix* Mil. gl. 681; *admonitrix* Truc. II. 6. 20; *praestigiatrix* Amph. 782; *suppostrix* Truc. IV. 2. 50; *adsentatrix* Most. 257; *circumspectatrix* Aul. I. 1. 2; *stimulatrix* Most. 203. 219; *restitrix* Truc. IV. 2. 5;

persuastrix Bacch. 1167; *contemptrix* (rar.) Bacch. 531; *advorsatrix* (Plaut. Ter. Tertull.) Most. 257.

toria soria (cf. l. c. p. 330): *vorsoria* Trin. 1026. Merc. 876; cf. Diez l. c.

tas (ital. tà, hisp. dad tad, frg. té, cf. Diez, gr. II. 336): *amabilitas* Stich. 741. Poen. V. 4. 1; *cruciabilitas* Cist. II, 1. 3; *confirmitas* Mil. gl. 193; *incommoditas* Mil. gl. 645. Aul. III. 5. 59; *opimitas* Asin. 282. Capt. 769; *opulentitas* Mil. gl. 1171; *saturitas* Rud. 758. Capt. 109. 771. 865. 877; *vacivitas* (Fleckeisen *voc.*) Curc. 319; *vernilitas* Bacch. 1.

mentum (cf. l. c p. 356): *inanimentum* Stich. 173; *deliramentum* Men. 920. Amph. 696. Capt. 598; *nidamentum* (Arnob.) Rud. 889; *opprobramentum* Merc. 420; *scitamenta* pl. Men. 209; *sincipitamenta* pl. Men. 211; *stabilimentum* (rar.) Curc. 367; *tinnimentum* Rud. 806; — *offerumenta*, ae Rud. 753.

Praeterea linguis Romanicis placuerunt *terminationes deminutivorum*, quae quidem non habent deminutivam significationem, sed hac terminatione in maius amplificantur, e. c. ital. *fratello*, *sorella*, frg. *corbeille* al.; cf. Diez, II. 262 sq. Iam in linguae Latinae multis vocibus vis deminutiva evanuit, ut in vocibus *adulescentulus*, *puella*, *sella*, *regula*, *fabula*, *baculus*, *oculus*, *articulus* aliis. Complura diminutiva, quae apud Plautum exstant, hac notione deposita recurrunt in linguis Romanicis: *apicula* Curc. 10 (etiam Plin.) frg. *abeille*, hisp. *abeia*, lusit. prov. *abelha*, ital. *pecchia* (cf. Diez, lex. p. 22 s. v. ape); *lusciniola* Bacch. 38 (cf. Varro l. l. V. §. 76 Muell.) ital. *rossignuolo*, hisp. *ruiseñor*, lusit. rouxinol, prov. frg. *rossignol* (cf. Diez, lex. p. 297); *agnellus* Asin. 667, frg. *agneau*; *panniculа* (Ritschl *peniculum*) Mil. gl. I. 18 Tbm., pro qua forma etiam *panucula* (fest. p. 220 Muell.) et *panucla* (Non. 149, 22) invenitur, ital. *pannocchia*, hisp. *panoia*, cf. Diez, lex. p. 249 s. v. pannocchia, et Pott in: Aufrecht et Kuhn Ztschrft.

I. 316; *filiolus* Truc. II. 8. 10. IV. 3. 31. Capt. 876, ital. *figliuolo*; *mantellum* Capt. 520 sq. ital. *mantello*, frg. *manteau*, cf. Diez, lex. p. 216 s. v. manto; *vitellus* Asin. 667, frg. *veau*, cf. Diez, lex. pag. 742 s. h. v.; *vasculum* (vesc.)[1] Trin. 888. Rud. 134. Aul. II. 3. 3, ital. *fiasco*, hisp. *flasco*, lusit. *frasco*, frg. *flacon*, cf. Diez, lex. p. 144 s. v. fiasco.

Sermonem Romanorum vulgarem multo aptiorem fuisse cum ad derivata tum ad deminutiva formanda quam linguam cultam, multoque proprius accedere ad linguas Romanicas, praesertim ad linguam Italicam, in qua tantum non de omni substantivo permulta tam deminutiva quam augmentativa formari possunt,[2] demonstrant exempla haec:

olus, *ulus* (cf. Diez, gr. II. 298 sqq.): *armariolum* Truc. I. 1. 35; *horiola* Trin. 942; *servolus* Men. 339. Capt. 880. Poen. I. 2. 58. *animule* Men. 361. Cas. I. 46; *cistula* Amph. 420. 773. Rud. 389. 1082. 1085. 1119; *corbula* Aul. II. 7. 4; *crumilla* (pro cruminula) Pers. 687; *digitulus* Bacch. 675. Rud. 720. Poen. III. 1. 63; *guttula* Epid. IV. 1. 27; *ioculus* (potissimum ap. Pl.) Most. 923. Merc. 993. Rud. 729. Truc. I. 2. 11; *lenullus* (pro lenonulus, cf. Diez, gr. II. 342) Poen. II. 25; *mellilla* (pro mellinula) Cas. I. 47; *mensula* Most. 308; *nepotulus* Mil. gl. 1413. 1421; *pallula* Truc. I. 1. 32. II. 2. 16. II. 6. 55; *persolla* (pro personula) Curc. 192; *pinula* Amph. 143; *porculus* Men. 312. Rud. 1170; *posticulum* Trin. 194. 1085; *puellus* frgm. p. 1246; *torulus* Amph. 144; *tunicula* Rud. 549; *ventulus* Curc. 316. Cas. III. 5. 14; *vidulus* Men. 286. 1036. Epid. I. 1. 20. Rud. 392. 999. 1127. 1130. al. cf. Diez, lex. p. 365 s. v. ital. *valigia*, hisp. *baliia*, frg. *valise*.

---

1) ital. *vascello*, frg. *vaisseau* (= navis) ductum a forma *vascellum*; cf. Diez, lex. p. 366.

2) Cf. Blanc, ital. gr. p. 157 sqq. 163.

culus (cf. Diez, gr. II. 300 sq.): *anaticula* (semel ap. Cic. et) Asin. 693; *diecula* Pseud. 503; *ensiculus* Rud. 1156 sq.; *securicula* Rud. 1159; *sicilicula* Rud. 1169 (cf. hisp. *cincel*, lusit. *sizel*, frg. *ciseau*, Diez, lex. p. 101 extr.); *manicula* Rud. 1169; *cincticulus* Bacch. 432; *sucula* Rud. 1170; *recula* frgm. p. 1236; *peniculus* Men. 77. 286. Rud. 1008; *adsentatiuncula* (semel ap. Cic. et) Stich. 226; *aratiuncula* Truc. I. 2. 46; *curculiunculus* Rud. 1325; *morsiuncula* Pseud. 67; *occasiuncula* Trin. 974; *oppressiuncula* Pseud. 68; *perieratiuncula* Stich. 227; *amatorculus* Poen. I. 2. 27; *sororcula* frgm. 1236; *uxorcula* Cas. IV. 4. 19. V. 2. 32; *passerculus* Asin. 666. 694; *pulvisculus* Rud. 845. Truc. prol. 19; *corpusculum* Cas. IV. 4. 19; *faenusculum* Pseud. 287; *corculum* Most. 986. Cas. IV. 4. 14 II. 6. 9; *verculum* Cas. IV. 4. 15; *melculum* Curc. 11 (*melliculum* Cas. IV. 4. 14; 19).

ellus (cf. Diez, gr. II. 340): *cistella* Rud. 1109. 1130. 1143. Cist. III. 7. IV. 1. 3 sq., *cistellula* Rud. 391. 1078; *culcitella* Most. 894; *porcella* (v. Pl.) Mil. gl. 1060.

illus: *haedillus* Asin. 667; *putillus* Asin. 694 (it. *putello*, cf. Diez, lex. p. 276); *murmurillum* Rud. 1404.

b. De adiectivis.

Magna pars adiectivorum terminationibus derivativis praedita propter maiorem amplitudinem in linguis Romanicis notionem primitivorum subit. Similiter in Romanorum sermone prisco vel plebeio *gnaruris* (= gnarus) Most. 100. Poen. prol. 47 (*ignaruris* Tbm.); *ebriăcus* frgm. Aul. ap. Non. 108, 6 homo *ebriacus* somno sanari solet (*ebriolatus* Tbm. p. 1259), ital. *ebbriaco*, hisp. vet. *embriago*, prov. *ebriac*, dial. frg. *ebriat*, cf. Diez, gr. I. 15. lex. p. 130; *praesentarius* (= praesens) Trin. 1081. Most. 361. 913. Poen. III. 5. 48; 3. 91; *manufestarius* Trin. 985. Mil. gl. 444. Bacch. 918. Aul. III. 4. 10; *sectarius* Capt. 820;

sedentarius (= sedens) Aul. III. 5. 39; *singularius* Capt. 112; *ridicularius* Trin. 66. Asin. 330. Truc. III. 2. 16, cf. Diez, gr. II. 327; *ridiculosus* Stich. II. 3. 64 Tbm. (Ritschl v. 389 ridiculissumos); *obnoxiosus* Trin. 1038, adv. — e. Epid. V. 2. 30; *ieiuniosus* Capt. 466; *luscitiosus* Mil. gl. 322 sq. (cf. Non. 135. 10. Fulgent. expos. 561. 18); *muliebrosus* Poen. V. 5. 24; *periuriosus*[1]) Truc. I. 2. 52; cf. Diez, gr. II. 330 sq.; — *vacivus* Bacch. 154. Trin. 11. Pseud. 469. Cas. prol. 29. III. 4. 6, cf. Diez, gr. II. 339. lex. p. 543 s. v. vacío.

Eodem pertinent ex adiectivis derivatis, minus usitata haec:

eus (cf. Diez, gr. II. 279): *bliteus* Truc. IV. 4. 1, cf. ital. bizocco Diez, lex. p. 388 s. h. v. gr. I. 10; *herbeus* Curc. 231; *oculeus* Aul. III. 6. 19; *stercoreus* Mil. gl. 90; *verbereus* Pers. 184. Pseud. 911. Capt. 951.

icius (cf. Diez, gr. II. 294): *caesicius* Epid. II. 2. 46; *proiecticius* Cist. I. 3. 43; *emissicius* Aul. I. 1. 2; *adoptaticius* Poen. V. 2, 85. 100; *expositicius* Cas. prol. 79; *surrupticius* Men. 60. 68. Curc. 205. Poen. V. 2. 2; *conventicius* Cist. I. 1. 42.

alis (cf. l. c. p. 304): *exanimalis* Rud. 221 (act.) Bacch. 848 (pass.); caudicalis Pseud. 158; *esurialis* Capt. 468; *emortualis* Pseud. 1237; *prodigialis* Amph. 739; *sospitalis* Pseud. 247.[2])

(t)ilis (cf. l. c. p. 305): *electilis* Most. 730; *ferratilis* Most. 19; *hamatilis*, *saxatilis* Rud. 299; *plectilis* Bacch. 70; *cumatile*, *plumatile* (sc. vestimentum) Epid. II. 2. 49.

---

1) *Angli* terminationem — *ous* mirum quantum fovent, e. c. *periurious*, *ridiculous*.

2) Porro huc referenda sunt *capularis* Mil. gl. 628, *proeliaris* Curc. 573, *vapularis* Pers. 22, quorum litera *l* terminationis *dissimilandae* gratia cessit cognatae literae *r*.

bilis (cf. l. c. p. 305 sq.): adiectiva hac terminatione formata, quorum pleraque a verbis ducta sunt, tam passivam quam activam habent significationem. Et passivam quidem *aequiberabilis* Trin. 466. Curc. 168; *castigabilis* Trin. 44; *cruciabilis* (rar.) Pseud. 950; *excruciabilis* Cist. IV. 1. 1; *donabilis* Rud. 654; *illocabilis* Aul. II. 2. 14; *pollucibiliter* Most. 24; *inlutibilis* Mens. I. 2. 57 Tbm. (Ritschl v. 168 inlutilis); *immutabilis* (ab verbo immutare) Epid. IV. 2. 8; *sepelibilis* Cist. I. 1. 64; *sperabilis* Capt. 518; *utibilis* Trin. 748. Mil. gl. 613. Most. 859. Bacch. 1. Merc. 1005; *verberabilis* Aul. IV. 4. 6, Act.: *incogitabilis* Mil. gl. 544; *discordabilis* Capt. 402; *conducibilis* (potissimum ap. Pl.) Trin. 25. 36. Bacch. 52. Epid. II. 2, 71. 75. III. 3. 12 Cist. I. 1. 80; *adiutabilis* Mil. gl. 1144. Pers. 673; *lucrificabilis* Pers. 712; *ludificabilis* Cas. IV. 1. 3; *inpetrabilis* Most. 1162. Merc. 605. Epid. III. 2. 6. (Tbm. *impetralem*); *perplexabilis* Asin. 792, adv. *-iter* Stich. 85. — Unum adiectivum *voluptabilis* Epid. I. 1. 19 ductum est a substantivo, quod saepe fit in linguis Romanicis; cf. l. c. p. 306 extr.

arius: carcerarius Capt. 129; *crapularius* Stich. 230; *crocotarius* Aul. III. 5. 47; *datarius* Pseud. 969. Stich. 258. *hepatiarius* Curc. 239; *lamentarius* Capt. 96; *lapidarius* Capt. 723; *thesaurarius* Aul. II. 8. 25; *virginarius* Pers. 751; — praecipue hac terminatione etiam in linguis Romanicis formantur *nomina agentis* (cf. Diez, gr. II. 327); item *arcularius* Aul. III. 5. 45; *calceolarius* ibid. 38; *carinarius* ibid. 36; *diabathrarius* ibid. 39; *flammearius* ibid. 36; *indusiarius* ibid. 35; *lanarius* ibid. 34; *limbolarius* ibid. 45; *manulearius* ibid. 37; *molochinarius* ibid. 40; *patagiarius* ibid. 35; *semizonarius* ibid. 42; *solearius* ibid. 40; *strophiarius* ibid. 42; *violarius* ibid. 36.

osus: axiosus frgm. p. 1249; *axitiosus* frgm. p. 1235; *illecebrosus* Bacch. 87; *meticulosus* Most. 1101. Amph. 293;

inpendiosus Bacch. 396; *podagrosus* Merc. 595. Poen. III. 1. 29; *repudiosus* Pers. 384; *propudiosus* Truc. II. 1. 16. Stich. 334; *radiosus* Stich. 365; *scruposus* Capt. 185; *obsequiosus* Capt. 418; *ventriosus* Asin. 400. Merc. 639. Pseud. 1218. Rud. 317.

ivus: abditivus (v. Pl.) Poen. prol. 65; *adscriptivus* (v. Pl.) Men. 184; *conlativus* (rar.) Curc. 231.

lentus: *bucculentus* Merc. 639; *corpulentus* Epid. I. 1. 8; *frustulentus* Curc. 313; *macilentus* Capt. 647. Asin. 400; *mustulentus* frgm. ap. Non. 63. 33; 415. 15; *pisculentus* Rud. 907.

bundus (cf. Diez, gr. II. 352): *deplorabundus* Aul. II. 4. 38; *lixabundus* Stich. 288; *ridibundus* Epid. III. 3. 32.

Iam in culta lingua Latina adiectivis *terminationes deminutivae* haud raro subiiciebantur, velut *parvulus*, *aliquantulus* cet. Saepius autem id fiebat in sermone rustico, item ut in linguis Romanicis, praecipue in lingua Italica (cf. Blanc, ital. gr. p. 160 sq.), partim significatione deminutiva servata.

Rarissima vero quorum pars apud unum Plautum invenitur, huius generis adiectiva et adverbia sunt haec:

olus: argenteolus Rud. 1169; *aureolus* Rud. 1156. Epid. V. 1. 34; *ebriolus* Curc. 192. 294.

ulus: bellus (ap. Cic. tantum in litteris) Men. 605. et saepius, adv. Asin. 676. Rud. 426. Curc. 375. 521; superl. Curc. 20. Merc. 688. 825. frgm. p. 1236, cf. ital. hisp. lusit. *bello*, prov. *bel*, frg. *beau bel; bellulus* Mil. gl. 989. Rud. 463. Poen. I. 2. 134. Cas. IV. 4. 22; *bellatula* Cas. IV. 4. 28, cf. prov. *bellazor*, frg. vet. *bellezour*, Diez, lex. p. 564 extr. altrom. Sprachdenkm. p. 22; *blandiloquentulus* Trin. 239; *commodulum* Mil. gl. 750, *-e* Rud. 468; *dicaculus* Asin. 511; *limulus* Bacch. 1130; *minutulus* Poen. prol. 28; *placidulus* et adv. *-e* Trin. 726 Rud. 426; *primulus* Amph. 737, adv. *-um* Mil. gl. 1004. Men. 917.

1116; *quadrimulus* Capt. 981. Poen. prol. 85; *rallus* (*rarulus* aut *ravulus*) Epid. II. 2. 46, cf. hisp. lusit. *ralo*, Diez, lex. p. 525 s. h. v.; *scitulus* Rud. 565. 894; *sordidulus* (semel ap. Iuvenal. et) Poen. I. 2. 58; *tenellus* (rar.) Cas. I. 20; *valentulus* Cas. IV. 4. 26; *venustulus* et *vinnulus* (vv. Pl.) Asin. 223.

culus: clanculum frequens Plauto (et Ter.); *pauperculus* (non ap. Cic.) Pers. 345. Aul. II. 1. 49. Epid. IV. 1. 13. Poen. III. 1. 33; *breviculus* (rar.) Merc. 639; *dulciculus* (rar.) Poen. I. 2. 177; *grandiculus* Poen. II. 35; *molliculus* (poet.) Poen. I. 2. 154. Cas. II. 8. 58; *saepicule* (Apulei.) Cas. III. 5. 59 Tbm. — Accedunt complures *comparativi* hac terminatione insignes: *liquidiusculus* Mil. gl. 665; *meliusculus* Capt. 959. 968. Curc. 489; *nitidiusculus* Pseud. 220, adv. *-e* ibid. 774; *plusculum* adv. Pers. 21. Amph. 283; *complusculi* Rud. 131; *tardiusculus* frgm. p. 1236; *unctiusculus* Pseud. 221.

illus: tantillus Trin. 60. et saepe Plautus, item ut *quantillus*, adv. *-um* Curc. 103; *aliquantillus* Capt. 137; *pauxillus* Most. 865. Aul. I. 2. 34. Poen. III. 1. 63, adv. *-um* Capt. 176. Truc. III. 2. 18, *-atim* Rud. 929. Epid. II. 2. 63; *perpauxillum* adv. Capt. 177; *pauxillulus* frequens Plauto, *pausillum* adv. Curc. 179; *pausillulus* Stich. 163, adv. *-um* Bacch. 833. [1])

2. De verbis.

Exordimur ab *verbis compositis*. Fiunt ea potissimum cum *praepositionibus*, multaque in linguis Romanicis hac

1) Quoniam, ut iam supra dictum est, linguae Romanicae a compositione nominum in universum abhorrent, ob eamque causam paucissimae tantum similitudines inter has et sermonem Romanorum plebeium se ostendent, ut e. c. *cordolium* (Plaut. et Apulei.) Cist. I. 1. 67, Poen. I. 2. 86, ital. *cordoglio*, hisp. *cordoio*, prov. *cordolh* (cf. Diez, lex. p. 111) hoc loco hanc quidem rem prorsus omittamus. De nonnullis pronominibus compositis iam supra mentio facta est.

ratione componuntur ut lat. *ducere* = ital. *condurre*, frg. *conduire*; lat. *noscere* = ital. *conoscere*, hisp. *conocer*, frg. *connaître*. Contra simplicia, quae iam in lingua Latina evanuerant, numquam aut rarissime in linguas Romanicas immigrarunt, ut *apisci* Plautinum, hisp. lusit. *asir*, cf. Diez, lex. p. 463 = *adipisci*. Plura huius generis composita colligere libet, quorum significatio non solet a simplicibus differe (cf. Diez, gr. II. 388 sqq.):

ad: *adcurare* (Pl. et Ter.) Trin. 78. Men. 208. 860. Cas. III. 3. 30. Epid. V. 1. 55: *addecet* (Enn. et Pl.) Trin. 78. et saepius; *adesurire* Trin. 169. Stich. 180; *adformidare* Bacch. 1078; *adlaudare* Merc. 85 (hisp. lusit. *alabar*, prov. *alauzar*, cf. Diez, lex. p. 452 extr.); *admoderarier* Mil. gl. 1073.

con: *concastigare* Trin. 26. Bacch. 497. 1175; *concessare* Asin. 290. Poen. I. 2. 9; *conclamitare* Merc. 57; *concurare* Bacch. 131; *condecet* Plautinum verbum; *condecorare* (rar.) Pers. 463. Capt. 878; *conduplicare* Pseud. 1261; *comedere* item frequens Plauto, *confuturum* (omnino ter) Mil. gl. 941; *confabulari* (obs.) Merc. 188. 571. Cist. IV. 2. 77; *confulgere* (rar.) Amph. 1067. 1096; *congratari* Men. 129; *conlubere* (rar.) Merc. 258. Most. 295. Amph. 343. Asin. 711. Cist. I. 2. 9; *conlinere* (rar.) Most. 291. Poen. I. 2. 93. IV. 2. 4; *commeminisse* (rar.) Plauto frequentatum; *commercari* Pers. 749. Capt. 27. 100; *complacere* Amph. 106. 635. Rud. 187. 727; *conprecari* Mil. gl. 394. Amph. 740; *conspuere* (rar.) Curc. 503 (cf. lusit. *cuspir* Diez, lex. p. 483); *constabilire* Capt. 453; *consuadere* Trin. 527. 672. Mil. gl. 1319. Merc. 143. Asin. 261; *consudare* (rar.) Pseud. 666; *contonat* Amph. 1094; *convadari* Curc. 162.

de: *deamare* Epid. II. 2. 35. Poen. IV. 2. 72. V. 4. 3. Truc. IV. 1. 5; *deasciare* Mil. gl. 884; *deblaterare* (Lucil. semel et) Aul. II. 3. 1; *defraudare* (rar.) Bacch. 736. Asin. 91 sqq. Rud. 1387. Aul. IV. 9. 14, *defrudare* Men. 686 sq.

Pseud. 93. Asin. 93; *deiurare* Cas. III. 5. 37; *deierare* Men. 815. Rud. 1336; *demirari* Men. 706. Merc. 698. Stich. 266. Amph. 765. Asin. 51; *demutare* Trin. 73. Mil. gl. 1130. 1291. Men. 871. Pseud. 555. 566; *denarrare* (rar.) Truc. II. 2. 53; *deosculari* (rar.) Cas. I. 48. II. 8, 17. 18. 33; *deputare* Trin. 748. Amph. 158; *deruncinare* Mil. gl. 1142. Capt. 641 (*runcinare* Mil. gl. 935); *deungere* Pseud. 222.

dis: discavere Men. 249; *discertare* Men. 809; *discupere* (rar.) Trin. 932; *disperire* Poen. IV. 2, 22. 86, *disperii* frequentissimum, *dispereo* Stich. 753; *dispudere* Bacch. 481. Most. 1166; *distaedere* (rar.) Amph. 503.

ex: exaugere (rar.) Stich. 304; *exauspicare* Capt. 766; *edissertare* Amph. 600. Stich. 302. Cas. V. 2. 31; *exiurare* frgm. Amph. ap. Non. 105. 22; *exputescere* Curc. 242.

in: indaudire inaud. Mil. gl. 211. 442. Merc. 941. 944. Most. 542. Aul. II. 2. 88; *inconciliare* Trin. 136. Bacch. 551. Most. 613. Pers. 834; *inpercere* Amph. 500. Cas. IV. 4. 12; *inructare* Pseud. 1295.

inter: interbibere Aul. III. 6. 22; *interminari* Pseud. 776. Asin. 363. Capt. 791. Cas. III. 5. 28; *internecare* Amph. 189.

ob: occlamitare Amph. 884. Curc. 183; *offigere* Most. 360; *offlectere* Rud. 1013; *obolere* Men. 384. Most. 39. Amph. 321. Cas. IV. 3. 16; *obrodere* Amph. 724; *obsorbere* (poet.) Mil. gl. 834. Curc. 313. Truc. II. 3. 30; *optueri* Bacch. 669. Most. 69. 840. Amph. 900.

per: peracescere Bacch. 1099. Aul. III. 4. 9; *percupere* Asin. 76; *pertegere* Trin. 320. Rud. 123.

sub: subblandiri Bacch. 517. 876. Most. 221. Asin. 185. Cas. III. 3. 23; *suffurari* Truc. II. 7. 15; *subolet* Trin. 615. 698. Pseud. 421. Cas. II. 3, 48. 59. III. 2. 24; *suppalpari* (rar.) Mil. gl. 106; *supparasitari* Mil. gl. 348. Amph. 515. 993; *suppilare* Men. 735. 803. Asin. 815. 888. Truc.

II. 7. 15; *subservire* Men. 766; *subsultare* (rar.) Capt. 637. Cas. II. 7. 10.

b. Verba derivata.

Ducuntur verba nunc a nominibus nunc ab verbis. Verba a nominum stirpibus ducta, terminatione derivativa praeter eam, quae continetur in coniugationum diversarum forma denominativa, non addita, magno numero florent in linguis Romanicis, item ut in sermone rustico (cf. Diez, gr. II. 364 sqq.). Haec verba derivata potissimum ad coniugationes I. et IV. pertinent. Exempla Plautina sunt haec: *argutari* Amph. 349, frgm. p. 1244; *caiare* frgm. p. 1236; *charmidare*, *dech.* Trin. 977; *coquinare* Pseud. 853. 875. Aul. III. 1. 3 (cf. Diez, lex. p. 118 s. v. cucina); *dapinare* Capt. 897; *suffarcinare* Curc. 289; *fraterculare* et *sororiare* frgm. p. 1244; *furcillare* Pseud. 631; *impiare* Rud. 191; *infelicare* Rud. 885. 1225. Poen. II. 1. Epid. I. 1. 11; *infelicitare* Merc. 436. Cas. II. 3. 30. (cf. Diez, gr. II. 368 not.); *manducare* (ab v. obs. *manducus* Rud. 535) Mil. gl. II. 6. 105 Tbm. (al. Ritschl.) cf. ital. *mangiare*, frg. *manger*, Diez, lex. p. 215; *mendicare* Most 230. Amph. 1032. Capt. 323, *-ier* Capt. 13. frgm. p. 1251; *parasitari* Pers. 56. Stich. 637; *supp.* v. supra; *pauperare* Mil. gl. 729. Pseud. 1128. frgm. p. 1234; *pausare* Trin. 187 (cf. Diez, lex. p. 256 s. h. v. et p. 460 s. v. *aposentar*); *runcinare* Mil. gl. 935, *der.* Mil. gl. 1142. Capt. 641; *rurare* Capt. 84; *scortari* Merc. 985. 1018. Pseud. 1133. Asin. 270; *superstitare* Pers. 331; *strenuare* Pseud. 629; *sycophantari* Trin. 787. 958; *velitari* Men. 778; *vitulari* Pers. 254; — *compedire* Men. 85. Capt. 944; *grandire* Aul. I. 1. 10. — Huc accedunt nonnulla *participia perf. pass.*, quorum verba non exstant: *amussitatus* Mil. gl. 632; *anulatus* Poen. V. 2. 21; *columnatus* Mil. gl. 211; *hostiatus* Rud. 270; *larvatus* Men. 890; *manuleatus* Pseud. 738;

patibulatus Most. 56; *quietatus* Amph. 169; *unguentatus* Mil. gl. 924. Cas. II. 3. 23. Truc. II. 2. 33; *viaticatus* Men. 255.

Composita in hanc derivationem frequenter inclinant: *deartuare* Capt. 641. 672; *edentare* Rud. 662; *exdorsuare* Aul. II. 9. 2; *defaecare* Most. 158. Pseud. 760. Aul. I. 2. 1; *incomitiare* et *inforare* verba Plautina Curc. 400 sqq.; *elinguare* Aul. II. 2. 72; *denasare* Capt. 604; *exoculare* Rud. 731; *exossare* Pseud. 382. Amph. 318 sqq. 342. Aul. II. 9. 3; *expapillatus* Mil. gl. 1180; *eradicare* Plauto tritum. Bacch. 1092. Merc. 775. et alibi (prov. *araigar*, frg. *arracher*, cf. Diez, lex. p. 555 s. v. frg.); *opscaevare* Asin. 266.

Verborum ab verbis derivatorum praesertim animadvertendus est permagnus numerus *frequentativorum* et *inchoativorum*, quorum multa linguae Romanicae simplicibus amissis sola forma derivativa servant. De tot mentione digna videntur desiderativa in *-urire*, e. c. *habiturire* Truc. I. 2. 48; *scalpturire* Aul. III. 4. 8, *scalpurire* Tbm. (cf. ital. *scalterire* Diez, lex. p. 430 sq.); — deminutiva: *occillare* Amph. 183; *murmurillare* frgm. p. 1262 (cf. Diez, gr. II. 376); *concipilare* Truc. II. 7. 61; *missiculare* Epid. I. 2. 29 (cf. l. c. p. 372 sq.); — amplificatio per *litteram n* iniectam in: *danunt* Plauto frequentatum; *frunisci* Rud. 1012; — *assere*, *essere*, *issere*, quorum pars apud unum Plautum invenitur: *reconciliassere* Capt. 168; *impetrassere* Mil. gl. 1128. et alibi; *oppugnassere* Amph. 210; *assudassere* Cas. II. 6. 9; *expetessere* Trin. 228. et saepius, item ut *incipissere*.

Sequatur *index verborum frequentativorum*, quae potissimum Plautus usurpat. Frequentativa maiorem partem ficta sunt, ut vulgo dicunt e forma supini,[1]) alia e stirpe

---

1) rectius vero e *participii perf. pass.* forma, ut etiam *agitare*, *loquitari* alia non ex praesente ducenda sunt, sed item ex part. perf. pass. intrusa lit. *i*.

praesentis addita frequentativorum terminatione *-itare*, alia denique ex frequentativis, quae eandem terminationem amplificant, e. c. *ductare*, *agitare*, *ductitare*. Linguae Romanicae prae ceteris primam illam rationem secutae sunt, ut ital. *cantare*, frg. *chanter* = lat. *canere cantare*; ital. *aiutare*, hisp. *ayudar*, prov. lusit. *aiudar*, frg. *aider* (cf. Diez, lex. p. 8 sq.) = lat. *adiuvare adiutare* cet., cf. Diez, gr. II. 373 sq.

In sequenti indice tria illa genera non distinximus.

agitare (saepissime etiam alias); *subigitare* frequens; *artare* (non ap. Cic.) Capt. 304; *auctare* (tribus tantum in locis) Amph. 6; *cantare* tritum; *cassare* (cadere) Mil. gl. 852. 856 (cf. Diez, lex. p. 393 s. v. *casco*); *acceptare* (rar.) Pseud. 627; *acceptitare* frgm. ap. Non. 134. 27; *inceptare* Trin. 1030. et alibi (cf. hisp. *encentar*, Diez, lex. p. 486); *occeptare* Men. 917. 934. Merc. 533. Rud. 776; *crepitare* Men. 926. Rud. 536; *cubitare* (rar.) Pseud. 1177. Stich. 547 sq. Curc. 57. 76; *culpitare* Cist. II. 1. 19; *recursare* Most. 581; *accusitare* Most. 712; *incusitare* Most. 713; *datare* frequens; *edictare* Men. 642. Amph. 816. Epid. I. 2. 2; *dormitare* Plauto tritum, item ut *ductare*, *obductarier* Merc. 786; *perductare* Most. 846 sq.; *ductitare* Rud. 584. Poen. I. 2. 60. Epid. III. 2. 15; *essitare* Pseud. 830. Capt. 188. frgm. p. 1249; *calefactare* (rar.) Rud. 411. Cas. II. 6. 48; *frigefactare* Poen. III. 5. 15; *olfactare* Men. 167; *defensare* (rar.) Bacch. 443. Rud. 692; *fugitare* Asin. 485. et alibi, *funditare* Amph. 1033. Asin. 896. Poen. I. 2. 61. II. 36; *diffunditare* Merc. 54; *gestare* satis frequens, rarius *gestitare* Mil. gl. 7. et alibi, Bacch. 22; *hietare* Men. 449. frgm. p. 1254; *imperitare* Capt. 244; *obiectare* frequens; *obiurgitare* Trin. 68. 70; *adiutare* Pseud. I. 1. 81. (adiuvas Ritschl.), Cas. III. 3. 17. IV. 3. 9. et alibi; *lactare* Cist. II. 1. 9; *electare* (elicere) Merc. 224. Asin. 295; *sublectare* (sublicere) Mil. gl. 1066; *electare* (eligere) Truc. II. 6. 27;

licitari Merc. 441; *pollicitari* Mil. gl. 879. 1058. Rud. 929; *loquitari* Bacch. 803; *lusitare* Capt. 1003; *lutitare* (v. l. *lutulare*) Trin. 292; *conlutitare* (v. l. *collutulare*) Trin. 693; *mantare* Most. 116. Pseud. 255. 283. Rud. 96. Poen. I. 2. 52; *commetare* Capt. 185; *mussare* Aul. II. 1. 12. Merc. 59; *mussitare* Mil. gl. 311. 477. 714. Pseud. 501. Rud. 1029. Cas. III. 5. 33. Truc. II. 2. 57; 6. 10; *mutuitari* Merc. 58; *negitare* (rar.) Bacch. 1192. Merc. 60; *nictare* Men. 619. Merc. 407. Asin. 784; *noscitare* Trin. 863. et alibi; *nutare* verbum notum; *abnutare* Capt. 611; *palitare* Bacch. 1123 (cf. ital. *paltone* etc. Diez, lex. p. 421 s. h. v.); *paritare* Merc. 649. Pseud. 486; *pavitare* frgm. p. 1260; *apertare* Men. 910; *opertare* (obs.) Trin. 804; *pinsitare* (v. l. *pransitare* Tbm.) Asin. 36; *placitare* Bacch. 1081; *amplexari* Mil. gl. 245. 320. Rud. 695. Truc. V. 33; *amplexare* Poen. V. 4. 60; *potitare* Mil. gl. 836. Pseud. 1133. Amph. 261. 419. 535. Asin. 771; *pressare* Pers. 312. Asin. 661; *promptare* Bacch. 465 sq. Pseud. 628; *pultare* (i. e. pulsare) verbum Plauto probatum; *purgitare* Aul. IV. 10. 23. frgm. ap. Non. 190. 10; *quaeritare* verbum commune; *requiritare* Plautinum, Most. 1003; *reptare* Cas. I. 10. frgm. p. 1239; *obreptare* Pers. 79; *perreptare* Amph. 1011. Rud. 223; *rogitare* (frequentatum Pl. et Ter.); *erogitare* (bis tantum) Capt. 952; *responsare* Mil. gl. 964. Men. 610. Most. 403. Cist. II. 1. 30; *sputare* Merc. 138. Capt. 550; *insputare* Capt. 553. 555; *restitare* Capt. 502; *extentare* (extendere) Bacch. 585. Most. 594; *retentare* (retinere, rarum) Asin. 591. Rud. 877; *tonsitare* Bacch. 1127; *unctitare* Most. 274; *circumvectitari* Rud. 933; *subventare* Rud. 231; *victitare* Mil. gl. 321. et alibi; *visitare* Trin. 766 ac saepius; *advorsare* Rud. 306; *devotare* (rar.) Cas. II. 6. 36.

Ut verba frequentativa, item *inchoativa* cum singularem et pleniorem potestatem habuissent quam simplicia, deinde propter maiorem amplitudinem propria significatione

deposita linguas Romanicas immigrarunt; praesertim verba *coniugationis quartae* vel quae *e secunda coniugatione* in *quartam* linguae Latinae (tertiam linguarum Romanicarum) transierunt, e. c. ital. *fiorisco* (= floreo, cf. Diez, gr. II. 122 sq. 144 sq.); item in lingua provinciali (l. c. p. 193), francogallica (l. c. p. 220. 238. e. c. *fleuri-ss-ons*, *fleuri-ss-ais*, *fleuri-ss-ant*); valachica (l. c. p. 251). Hispanica autem et Lusitanica hunc transitum in coniug. IV. nesciunt, cf. hisp. *carecer* (carere), *merecer* (merere), l. c. p. 379.

Plautus etiam complura habet inchoativa eodem fere significatu, quo doctus sermo simplicibus utitur:

iscere: condormiscere Mil. gl. 826. Curc. 360. Rud. 571 sq. Most. 486; *edormiscere* Amph. 697. Rud. 586; *perdormiscere* Men. 928 sq.; *fruniscі* (obs. et post.) Rud. 1012; *inpliciscier* Amph. 729; *perpruriscere* Stich. 761; *conquiniscere* Pseud. 864. Cist. IV. 1. 5; *sciscere* (propria signif. obs.) Bacch. 302. Amph. 1069; *resciscere* Amph. 491. Asin. 743. Bacch. 782. 826 al.; *persentiscere* Merc. 687. Amph. 527. Aul. I. 1. 24.

escere: consilescere Mil. gl. 583; *adlubescere* Mil. gl. 1004; *macescere* Capt. 134; *commiserescere* Rud. 1090; *dispalescere* Bacch. 1046; *optaedescit* Stich. 733;

ascere: labascere Rud. 1394; *conlabascere* Stich. 522; *permanascere* Trin. 155; *desudascere* Bacch. 66.

Tandem pauca libet de *verbis reflexivis* monere. Postquam enim formatio passivi et verborum deponentium in lingua Latina evanuit, verba reflexiva locum eius asciverunt, quod in linguis Romanicis maxime invaluit, cf. Diez, gr. III. 184 sqq. Huius generis verba sunt apud Plautum: *se invitare* (= potare) Amph. 283, *se circumspicere* Trin. 146, *se circumspectare* Bacch. 279. Trin. 863. Eodem pertinent plura verba, quibus inest notio *eundi* vel *abeundi*: *se agere* (= ire; Pl. Ter. Virg.) Trin. 1078. Most. 342. 562. Mil. gl. 863. Bacch. 1106. Pers. 216. 482.

Amph. 450. Poen. I. 2. 120; *se penetrare* (= ire) Trin. 276. 291. 314. Amph. 250; *se afferre* Amph. 989; *se auferre* Asin. 469. Rud. 1032; *se immergere* (= se conferre): Men. 448 in contionem mediam *me inmersi* miser, ibid. 703 *inmersit* aliquo *sese* credo in ganeum (cf. val. *meargeire;* Diez, gr. II. 132. 253); *se dare:* Most. 698 ex aedibus *me dedi* foras, Curc. 363 ostium ubi conspexi, exinde *me* ilico protinam *dedi*, frgm. Astrabae ap. Non. 376. 8 *dare* pedibus protinam *sese* ab his regionibus, Capt. 121 mene vis dem ipse in pedes (cf. ital. *mettersi in* viaggio, frg. *se mettre* en chemin, Pott, das Lat. im Uebergange z. Roman. in Ztschrft. f. d. A. W. 1853 p. 494); *se ducere:* Bacch. 593 *duc te* ab aedibus, Amph. 1042 iam *me* ad regem recta *ducam*, Aul. IV. 8. 8 ego *me* deorsum *duco* de arbore, cf. Diez, gr. I. 15; *se educere* foras Mil. gl. 308 (cf. Pott, Ztschrft. f. vergl. Sprf. I. 350); *se subducere* Asin. 912; *se subterducere* Mil. gl. 343. Men. 449. Asin. 278; *se amoliri* Merc. 387. Pseud. 557. Truc. II. 7. 69; *se amovere* Most. 74; *se abripere* Mil. gl. 177. Curc. 598. *se capessere* Bacch. 113. 1077. Amph. 262. Asin. 158.

VITA.

Natus sum Car. Phil. Gust. Schmilinsky Magdeburgi V. die mensis Iunii a 1842 patre Godofredo, matre Friderica e gente Nitsche. Inde ab a. 1848 usque ad a. 1852 frequentavi scholam cum seminario quod tum temporis erat Magdeburgi coniunctam. Deinde litterarum elementis instructus in eadem urbe cursum annorum novem perfeci in gymnasio Coenobii Beatae Virginis, unde cum testimonio maturitatis Halas Saxonum me contuli philologicis studiis me dediturus. Usque ad aestatem a. 1864 interfui scholis philosophicis Schalleri, Haymii, Ulricii, philologicis Bernhardyi et Bergkii, quos VV. DD. etiam in seminariis philologicis et in societate litteraria studia mea adiuvisse gratissimo animo agnosco, itemque Pottii et Schadii.

THESES.

I.

Summa grammaticae comparativae quoad pertinet ad linguas Romanorum et Graecorum nec non Germanorum iam in schola tradenda est.

II.

A. Fuchs iure contendit Plautinarum fabularum editorem linguarum Romanicarum peritum esse debere.

III.

Apud Horatium in Sat. I, 1, 4. scripturam *gravis annis* non rectius a. Fr. A. Wolfio impugnari censeo quam ab Heindorfio defendi.

IV.

Homericum *ὑββάλλειν* in Il. 19. 80. ab Hermanno nego probabiliter explicari.

V.

Euripidis Medeae v. 12. — *ἁνδάνουσα μὲν || φυγῇ πολιτῶν ὧν ἀφίκετο χθόνα* iis assentior qui locum esse corruptum pronuncient; neque puto grammaticis artibus expediri posse.